FRANCISCI NORCIA

ADVOCATI, ET ANTECESSORIS ROMANI

JURIS NATURÆ ET GENTIUM

INSTITUTIONES

IN USUM AUDITORUM

ADORNATÆ

— Omnium quae in hominum doctorum disputatione versantur nihil est profecto præstabilius, quam plane intelligi, nos ad justitiam esse natos, neque opinione, sed natura constitutum esse jus.. —

Cicero de Legibus I.

VOL. I.



ROMÆ

Excudebat Linus Contedini

ANNO MDCCCXXX.

MONITUM

Et doctis, et indoctis scripsimus, diverso utique proposito: his ut discendi copiam, illis ne offensionem daremus solliciti. Tempus, otia, vires si suppetant, novo conatu et discentium utilitati, et doctorum oblectationi forte consulemus: curabimus certe. Nunc de Institutionibus hisce notum illud Manilii (Astron. lib. III. v. 59.) *amice Lector cogita* - Ornari res ipsa negat contenta doceri --

IN JURIS NATURÆ, ET GENTIUM

INSTITUTIONES

PROLUSIO

DE JURIS NATURÆ NOTIONE, ORTU, ET PROGRESSU.

---

§. 1. Practicæ philosophiæ munus est liberas hominum actiones rectæ rationis lumine ad verum bonum adigere. Communis hic est moralium disciplinarum finis: at variæ de humanis actionibus quæstiones, quae institui possunt, diversique hominum status distinctas disciplinas *Jus Naturale*, *Ethicam*, *OEconomicam*, et *Politicam* efficiunt.

§. 2. De actione quacumque illa gravissima quaestio est: an actio ipsa facienda, vel omittenda sit ex naturali quadam

obligatione. Altera questio est : quænam actionum cum perfectione humana, seu virtute, et felicitate, convenientia sit; et convenientia hujusmodi detecta, quæ ratio sit constanter ponendi actiones eas, quæ humanæ perfectioni respondeant.

§. 3. Ex prima investigatione quid *justum injustumve* sit, proprie acceptum, habetur : quod totum est *Juris Naturalis*, seu homines in simplici naturæ statu, seu in civili degentes attendas, qua postrema hypothesi novum ejusdem juris nomen inventum *Jus Gentium*.

§. 4. Sed ex altera quæstione, quæ duplex est, et *boni*, *malive* notio habetur, et via sternitur ad veram felicitatem perveniendi recta morum conformatione : utrumque *Ethices* proprium, quae perfectionem, et felicitatem hominum singulorum spectat: dum *OEconomica*, et *Politica* de recto *familiae*, aut *civitatis* statu, et utilitate eidem respondenti sollicitæ sunt.

§. 5. Commodior hæc nobis videtur facultatum hujusmodi distinctio, cujus utilitas

eo maxime pertinet, ut cujusque disciplinæ principia necessaria quadam argumentorum serie accuratius tradantur. Ceterum, cum omnes eodem tendant (§. 1.), invicem adversari non possunt, sed justitiam cum honestate, et felicitate tum privata, tum domestica, tum publica, miro summi naturæ Conditoris artificio conjunctam ultimo ostendant.

§. 6. Tota itaque juris naturalis disciplina, de qua nobis agendum est, si pro systemate, seu ordine digesta legum ejusdem generis serie, sumatur, definiri poterit - *Complexio legum quas Deus naturæ auctor hominum cordibus insculpsit, et per rectam rationem promulgavit.* - De lege naturali in se spectata alibi dicemus. Si vero jus naturale pro scientia legum naturalium, et arte eas rite explicandi accipias, *Jurisprudentia* naturalis erit - *Habitus intellectus ex naturæ contemplatione summi Legislatoris voluntatem per rectam rationem cognoscendi, et actionibus humanis applicandi.* -

§. 7. Nihil igitur in philosophicis hac disciplina præstantius, per quam homo a natura ad sapientissimi Conditoris mentem et voluntatem, quantum rationi datum est, assurgit, indeque certa vivendi principia haurit, quibus et Deo, et sibi, aliisque quid debeat noscere, et reddere queat. Hinc æternæ justitiæ fundamenta perspecta, unde omnis in civitate pendet sapiens legumlatio, latarumque legum judicium, et interpretatio, humanique juris fons inveniri potest. *Non enim a Prætoris edicto* (præclare Atticus apud Tullium de Legibus Lib. I.), *ut plerique nunc, neque a XII tabulis, ut superiores, sed penitus ex intima philosophia hauriendam juris disciplinam putes.* –

§. 8. Sat est naturale jus utcumque novisse, ut ejus origo in ipsa hominis creatione deprehendatur. Tunc enim juris ejusdem subjectum extitit, et promulgatio: divini autem Legislatoris imperium ex perfectissima ejus natura, quæ eadem semper fuit, agnoscendum est. Sed prisca hominum ætate, ut justa et honesta suopte ingenio

magis expetebantur, ita naturalis juris tradendi ars et disciplina excogitata non erat. Simplici, at sollicita, parentum institutione liberi prima justitiæ et honestatis rudimenta addiscebant, quæ adulta ratio perficiebat, et majorum exempla, et traditiones humanæ origini propiores confirmabant.

§. 9. Late postmodum grassante improborum hominum vi et nequitia, justitiæ pretium magis compertum est; et in civiles societates passim recessere mortales, ut procul ab injuriis tranquillam et naturæ suæ convenientem vitam ducerent. Ex hoc societatum hujusmodi rectorum cura enituit naturalis juris præcepta humana malitia pravisque cupiditatibus perversa et fere oblitera-ta decori suo civilibus sanctionibus restituere; atque ita maxima juris naturalis pars populorum legibus et tradita et exculta fuit.

§. 10. Hebræorum legibus prætermissis, quas ipse naturæ artifex Deus populo suo constituit, Ægyptiorum, Persarum, ac Sinentium instituta inter plures errores, quibus Ethnicorum opera semper infecta, non levem

naturalis justitiæ notitiam præseferunt: quicumque illi fuerint *Hermes*, *Zoroaster*, *Confucius*, qui leges literasque una gentibus dedisse feruntur. Eadem, et majora etiam, de græcis, romanisque institutis dici possent, nisi præstantiores harum gentium legumlatores, *Saleucus*, *Charondas*, *Lycurgus*, *Solon*, *Numa*, et *Decemviri* e philosophorum placitis suam juris disciplinam hausissent, ut æquius sit philosophos ipsos, unde et illi extiterint, commemorare.

§. 11. Samius *Pythagoras* Persiam, Indias, Ethiopiam, ac Ægyptum doctrinae causa cum peragrasset, primus, ut videtur, inter græcos justitiæ et honestatis præcepta, ambagibus tamen, et superstitione involuta, tradidit, et crotoniatis latis legibus confirmavit. Sed philosophiam a larvis, et fabulis, quibus eam contaminarant Pythagoras, et ejus discipulus Empedocles, purgare studuit *Socrates*, *a quo*, ut verbis Tullii (1)

(1) *T. Q. lib. III.*

utar, *hæc omnis*, *quæ est de vita*, *et moribus*, *philosophia manavit* - Discipulorum Socratis clarissimus *Plato* magistri doctrinam exposuit, et auxit pluribus conscriptis libris, in quibus de justitiæ regulis late disputatur. Hunc postea secuti *Philo judæus*, *Plotinus*, *Apulejus*, *Maximus tyrius*, *Chalcidius*, *Alcinous*, aliique platonicæ sectæ sententias ita illustrarunt, ut inde *Juris naturalis specimen secundum doctrinam platonicam* exhibuerit *Jo: Jachimus Zentgravius* anno 1679.

§. 12. At *Aristoteli* illa præcipua laus debetur moralem disciplinam primum concinnasse. Multa ibi juris naturalis praestans philosophus protulit, licet jus gentium penitus omiserit, præjudicatæ tunc temporis opinionis, qua exteri omnes pro hostibus habebantur, vitio potius, quam suo. Utinam ejus libros casus, et sequiorum Peripateticorum ignorantia non inquinassent! De *Epicuro* non loquar; quidquid enim de virtutnm præstantia dixerit, Superum inertia invecta, naturalis juris fundamenta sustulit.

Stoici potius commendandi, qui practicæ philosophiae sedulam operam dedere, et hanc de officiis disciplinam primi exornarunt; quam ex *Panœtio*, et *Possidonio* haustam uberius expressit *Tullius* in aureis libris *de officiis*. Hic ulterius progressus, latissime patentem generis humani societatem, et ideo communem universalemque justitiam detexit: uti ex ejus philosophicis scriptis compertum est.

§. 13. De stoicorum familia profecti *Seneca*, *Epictetus*, et *M. Aurelius Caesar* egregias de universo jure naturæ sententias carptim prodidere. At Senecæ acrius ingenium longius processit, et juris gentium fundamenta ceteris obscura, aut impervia constituit.

§. 14. Sed jam Christi Evangelium terrarum orbem pervagabatur, et humana ratio teterrima superstitione purgata altius assurgebat. Hinc purioris disciplinæ moralis fontes reclusi, unde Ecclesiæ Patres naturalis juris capita egregie illustrarunt. Quam præclara justitiæ, et honestatis præcepta tra-

dita sunt a *S. Basilio*, *Gregorio nazianzeno*, et *nysseno*, *Joanne Crysostomo*, *Clemente alexandrino*, *Lactanctio*, *Augustino*, *et Ambrosio*! qui quidem more Tullii *de Officiis* libros tres eximios conscripsit : quidquid contra senserit vesano partium studio abreptus Barbeyracus amarulenta illa Patrum censura, quam dedit in præfatione ad pufendorfiani operis gallicam versionem ; cui occurrit *Remigius Ceillier*, monachus benedictinus *Apologia moralis Ecclesiæ Patrum*. Sapientes, et probi viri omnes hæretici hominis perditos conatus contempserunt.

§. 15. Romano imperio exturbata sapientia ad Arabas concessit, qui octavum inter, et nonum seculum quamplurimis Africæ, et Hispaniæ provinciis dominabantur. Hinc inscitæ Aristotelis versiones, ineptioresque commentationes prodiere quae Peripateticorum philosophiam commacularunt ; quae tamen passim in scholis recepta, *scholastica* est appellata. Verum infelicia tempora nacti Scholastici, ingenii acumine ita va-

luerunt ut solidioris moralis rei doctrinam, ævi quidem sui vocibus, expresserint, et juris nostri principia certissima statuerint: quos inter vel unum *Angelicum doctorem* proferre satis sit, cujus acre ingenium, et exquisita doctrina numquam non prosint iis, qui naturalem justitiam sectentur: ut sileam de *Francisco Victoria* (1), *Dominico Soto* (2), *Ludovico Molina* (3), *Francisco Suaretio* (4); quorum laberibus haud parum se adjutum fuisse naturalis juris parens, qui prædicatur, *Hugo Grotius* ostendit.

§. 16. Huic sane honos tribuendus naturalem jurisprudentiam uberius, elegantiusque, quam ceteros, adornasse; Grotium enim præcesserant *Nicolaus Hemingius* (5), *Albericus Gentilis* (6), natione italus: qui

---

(1) De Jure Belli

(2) De Justitia, et Jure

(3) De Just. et Jure

(4) De Legibus

(5) De Lege Naturae Methodus apodictica *Villembergae* 1562.

(6) De Jure Belli *Oxonii* 1583 Justitia bellica *Ozon*. 1590

jus inter hostes et esse, et doceri posse excogitavit primus; atque ita nativi soli gloriam auxit, unde, ut ceteræ bonæ artes, et hæc juris Naturæ, et Gentium disciplina esset restituta: aliique; sed grotiano opere *de Jure Belli, et Pacis* in vulgus edito anno 1625, ceteri omnes e scholis exularunt, et uni Grotio inventionis gloria quodammodo relicta est.

§. 17. Reque vera, sive rerum delectum, et accuratum plerumque judicium, sive multiplicem eruditionem, et antiquitatis cnm sacræ, tum profanæ testimonia, sive stili venustatem attendas, novam naturalis jurisprudentiæ faciem undique deprehendas: quidquid contra dictitent infensissimi Grotii osores *Salmasius*, et *Feldemus*, cui satisfecit *Granswinkelius* libro, cui titulus *Stricturæ ad censuras Jo. Feldeni in lib. Hugonis Grotii Amstelodami.* 1655, quem Grotii liberis dicatum voluit. Dolendum potius egregium opus gravibus erroribus e pseudoreformatæ religionis placitis infectum esse: uti Ecclesiæ certa sententia judicatum est anno 1627.

§. 18. Grotii fama commoti angli duo *Joannes Seldenus*, et *Thomas Hobbesius*, alter *de Jure Naturæ, et Gentium juxta disciplinam Hebræorum*, alter *de Cive*, et *Leviathan*, seu *de materia, forma, et potestate civitatis ecclesiasticæ, et civilis* libros conscripsit. Sed, ut Seldeni labor eruditione, et hebraicæ traditionis præstantia non contemnendus, ita Hobbesii opera cordato cuique molesta, et invisa contingant. *Is enim* (verba sunt Francisci Buddei *Hist. Jur. Nat.* §. 26.) *dum pius in regem videri voluit, parum abest quin impius in Deum, ipsum, religionem imperantium arbitrio subiiciendo, injuriusque in cives, servili prorsus conditioni eos addicendo, extiterit.* - Cujus execrabiles hypotheses, et sententiæ optime refutatæ sunt ab altero anglo *Richardo Cumberlandio* nobili tractatu *de Legibus naturalibus*, quo contra Hobbesium naturæ leges omnes ex universalis benevolentiæ regulis deducuntur.

§. 19. Haud pauci satius duxerunt Grotium illustrare, quam nova proferre: quos

inter præcipui *Fridericus Gronovius*, cujus animadversiones ad grotiani operis intelligentiam perutiles, *Henricus Boeclerus*, *Gaspar Zieglerus*, *Henricus Henriges*, et alii plures. At *Samuel Pufendorfius* majora molitus est. Is primo moralium disciplinarum certitudinem propugnavit editis *Elementis Jurisprudentiæ universalis*, ubi geometrarum more, definitionibus, et axiomatibus positis, juris principia constituit. Dein magnum opus lucubravit de *Jure Naturæ, et Gentium*, quo universi juris nostri causam complexus est, ea tamen ratione, ut quæ Grotius omiserat plenius doceret, quæ vero ille tractarat remissius ipse prosequeretur. Justus rerum æstimator Pufendorfio laudem ultro concedet naturalem jurisprudentiam concinniori, et perfectiori methodo exhibuisse; at prudens idem gravissimos ejusdem errores, et philologiæ intemperantiam reprehendet. Ob eam rem Pufendorfii compendium *de officio Hominis et Civis*, ubi continenti argumentorum serie res traditur, additis officiis hominis erga Deum, quæ male omissa fue-

rant in opere majori, nonnullis magis quam illud probatum est.

§. 20. Pufendorfii libros certatim explanarunt, emendaruntque judicio suo *Nicolaus Hertius*, *Gerhardus Titius*, *Everardus Otto*, *Gottfridus Mascovius*, sed supra ceteros apud suos inclaruerunt *Joannes Barbeyracus*, et *Christianus Thomasius*; quorum alter Pufendorfii opus in gallicum sermonem vertit, et notis libere exposuit: alter conscripsit - *Institutiones Jurisprudentiæ divinæ, in quibus fundamenta Juris naturalis secundum hypotheses illustris Pufendorfii perspicue demonstrantur* -, et aliud opus inscriptum - *Fundamenta Juris Naturæ et Gentium ex sensu communi deducta etc*: sed Pufendorfii errores auxisse potius, quam minuisse Thomasium ostendit Finettus (1).

§. 21. Superiori seculo *Heineccius*, *Burlamaquius*, et *Christianus Wolfius* eamdem disciplinam excoluere. Ille *Elementa Ju-*

---

(1) De Principiis Jur. Nat. et Gent. *lib. 1. Cap. IX.*

ris Naturalis, *et Gentium* dedit, concinna quidem, et, quantum a Protestante expectari possit, castigata: alter *Principia Juris Naturalis* perspicuitate non vulgari enucleavit: at postremus *Juris Naturæ*, et *Gentium* opus adornavit, quo, ut famam mathematici ingenii retinuit, ita demonstrationum nimietate, et immensa scriptione legentes deterruit. Wolfianum systema maculis non carens explanarunt *Formeyus*, et *Vattellus*, alias notus opere suo, cui titulus *Jus Gentium*.

§. 22. Italiæ nostræ pulcherrima hæc disciplina non ignota, unde, ut vidimus (§. 14.), prima semina extiterunt. Nihil certe in nostris scriptoribus desideratum, quod ad intimiorem juris naturalis notitiam pertineret, sive Ethices, sive Moralis Theologiæ nomine eamdem rem pertractassent; e quorum penu meliora quæque ab aliis postea, ceu nova venditata, deprompta videas. Sed Protestantium jactantia, et eximiæ facultatis errores late diffusi nostros jam excitarunt ut hæc veluti sacra et ipsi

susciperent. Nota Italorum nomina, qui recentissima memoria hanc disciplinam in Academiis summo plausu docuerint, et scriptis exornarint. Nec obliteranda *Jo. Francisci Finetti* cura, qui profligatis perniciosioribus opinionibus, quibus hæc facultas infecta fuerat, opere suo *de Principiis Juris Naturæ, et Gentium*, adolescentibus copiam facere studuit verum a falso in naturalis jurisprudentiæ scriptoribus secernere. Quantum vero hac nostra ætate studia hæc per Italiam, alibique ferveant dicere non attinet. Proprium quippe philosophicæ historiæ esse videtur ingenii opera temporis lapsu probata, partiumque studiis jam libera sincerius referre, et doctius expendere.

§. 23. Et nos in almæ Urbis Athenæo divinum jus hoc tradimus, duobus libris breve opus complexi. *Naturæ jus* alter: *jus Gentium* alter explanat. Deus, cujus honos hic agitur, labores nostros benigne aspiciat, et jam perutilem, necnon jucundissimam rem pertractandam suscipiamus.

INSTITUTIONUM

JURIS NATURÆ, ET GENTIUM

LIBER I.

DE JURE NATURÆ

CAPUT I.

De Fontibus Juris Naturæ

§. 1. Jus naturale a Deo hominibus inditum ex naturæ contemplatione rectæ rationis lumine innotescit (Prol. §. 6.): duo igitur juris ejusdem fontes habendi, *D. O. M.* et *hominis natura*.

§. 2. Primum quod spectat, Theologia naturalis summum, æternum, præpotentem, sapientissimum, optimum, perfectissimumque Deum existere evincit, qui a nemine ortus universæ naturæ auctor extitit,

eamque providentia sua servat, regit, et gubernat. Qui hæc invictissime demonstrata absurde neget, germanam juris naturalis causam auferet, legislatore sublato, et præstantissima hominis officia de divino cultu penitus evertet.

§. 3. De natura humana, quæ alter juris nostri fons, illa ex Psycologia compertissima hic præjacienda sunt: hominum animas materiæ expertes, et immortales, veraque libertate præditas esse. Res nostra flagitat ut homo et in se et in actionibus statibusque suis breviter expendatur.

§. 4. Animal hoc providum, sagax, multiplex, plenum rationis et consilii, homo quem dicimus, quantum ad corpus attinet, haud multum a ceteris animantibus differt. Eædem quippe, quæ ceterorum viventium, humani corporis proprietates, et vices: eædemque vitæ necessitates sunt. Ex corporis indigentia communes fere cum belluis homini *stimuli*, *instinctus*, quibus ad sui conservationem, et voluptatem citra deliberationem rapitur, ab interitu, et mole-

stia removetur : quæ *animalis* cujusvis naturæ communia sunt.

§. 5. Sed præter eximium corporis habitum, propria est hominis *rationalis* natura, qua longe bruta antecellit. Indita est enim homini mens sui conscia, qua objectorum ideas sibi distincte efformat, abstrahit, componit, repetit : de earum convenientia, vel repugnantia judicat : ex cognitis ad incognita conjectura procedit : quæ *intellectus* multiplex vis : quid quamque rem sequatur, et quid sit cuique contrarium videt, totiusque vitæ suæ cursum uno veluti intuitu contemplatur : quæ *rationis* maxime sunt. Hac præditus homo in rerum universitate nexum quemdam, et mirabilem *ordinem*, quem *æternam* dixere *legem* veteres, adesse intelligit, cui intentus *veri*, et *falsi*, *boni*, et *mali* judicia confirmat.

§. 6. Verum est - *quod tale est reapse quale esse concipitur* - : Falsum - *quod aliter est natura ac nobis videtur*.- Verum autem est natura - *convenientia entis cum iis simul sumptis, quae ipsum deter-*

minant, *et constituunt*. - Bonum homini est - *quod naturam suam servat*, *et perficit* -: Malum - *quod eamdem destruit*, *et deteriorem facit*: - et quando hominis natura animo, et corpore absolvitur, alia *corporis*, alia *animi* bona emergunt, quorum notio ex dictis explorata. Sapit autem, vel desipit humana ratio judicio suo prout conforme, vel contrarium cœlesti illi ord ini, æternæque legi (§. 5.) quod sit sequatur; tunc enim idea mente comprehensa cum rerum natura consentit: quae conspiratio cogitationum veritatem constituit.

§. 7. Boni, malive cognitione posita, sua est humanæ menti vis, quæ cognitum bonum, vel malum, amplecti, vel aversari valet: quæ *voluntas* vocatur. Necessario quidem in felicitatem tendimus (ita amantissimo Creatori placuit homines a se productos ad se naturae vi rapere, modo hi veram beatitatem statuerent; de qua satis in Ethica dictum est); hinc objecta boni, vel mali specie, naturales in homine excitantur appetitiones, aversationesve, quas *affectus* vocant, ex amo-

re sui, seu *philautia* manantes. Libera tamen in bonorum electione voluntas, quæ et in suspenso hærere, et hac, vel illac se flectere lubitu suo potest: in quo tota se prodit vis *libertatis*; cujus sibi quisque conscius est.

§. 8. Pro varia natura, quam in homine consideravimus, secernendæ jam sunt actiones quæ a mente libere proveniunt, sive animo absolvantur, quæ *internæ*, sive foras erumpant, quæ *externæ*, generatim *humanæ*, vel *morales* vocantur: et aliæ, quæ ab homine quidem, at non ex libera electione procedunt, *physicæ*, et *necessariæ* appellatæ: physica nempe necessitate, et perpetuis motus legibus conclusæ.

§. 9. Econtra in actionibus humanis est quid laudes, quidve vituperes, quando hæ ab homine libere proficiscuntur, et ad aliquam rationis normam dirigi valent; atque ideo auctori suo ascribi merito queunt; harum enim libera causa in ipso est: quæ actionum qualitas *imputabilitas* vocatur, moralis cujuscumque disciplinæ, at maxime

nostræ fundamentum. Frustra enim obligationis originem in homine secteris, nisi antea ab eo actionum suarum rationem reposci posse compertum sit.

§. 10. Ex his humanæ naturæ status pro multiplici facultate, et vi, quibus homo præditus, varie etiam eruendus est: idque, ut clarius procedat, a generali status notione inchoandum videtur. *Status* metaphysicis est - *collectio omnium determinationum, quæ enti insunt, vel adsunt*. - Notum et illud philosophorum: quidquid existat determinatum esse. Homo itaque et ipse notis quibusdam cum perpetuis, tum mutabilibus circumscribatur oportet, quæ ipsius *statum* constituant. Jamvero de homine duo quæri possunt: unum, quæ physica ejus constitutio, et vis: alterum, quæ libera ejusdem volendi, agendique facultas e rationali natura, hominis propria (§. 5.), descendat. Distincta hæc consideratio *moralem* hominis *naturam* exhibet, cui actiones humanæ, et morales conveniunt; dum e physica constitutione actiones aliae physicae

et necessariae procedunt (§. 8.). Erunt igitur in homine determinationes, quæ physicas ejus vires, et quæ morales facultates respiciant. Illæ *physicum*: hae *moralem* hominis *statum* constituunt. Hominem *morali statu* affectum, *personam*: plures in eumdem finem communi sententia consociatos, *personam moralem* vocant.

§. 11. Physicæ hominis determinationes universales ex analysi naturæ humanæ eruuntur: *sentiendi*, puta, *ratiocinandique vis*; peculiares in singulis quærendæ sunt: in sexu, puta, ingenio, robore, aliisque quæ physicum statum non egrediuntur, aut quatenus naturales vires designant spectantur. Determinationum hujusmodi duplex genus notandum est: quæ homini *insint*, inhæreant, et quæ *adsint*, hoc est, extrinsecus accedant: ut rerum copia, existimatio. *Externæ* hæ: *internæ* illae vocantur; statusque inde conflatus *externus*, vel *internus* dicitur.

§. 12. At morales hominis determinationes aliunde peti non possunt, quam a relationibus, quibus homo devinctus est cum iis, in

quos agere debeat. Relationes enim hujusmodi a nexu, et ordine entium inter se descendunt. Harum igitur cognitio illa est quæ humanam voluntatem in actionibus suis rationi, quippe ordini (§. 6.), convenienter determinare valeat, licet hæc ob libertatem, qua fruitur (§. 7.), a rationis, seu ordinis, regula recedere possit: quod *moralis* determinationis proprium est; secus enim non moralis, sed physica, et necessaria determinatio haberetur, quæ morali hominis naturæ jam descriptæ (§. 10.) convenire non posset. Jamvero relationes hæ aliæ *connatæ*, et *primigeniæ*: aliæ *supervenientes* sunt: supervenientes, *naturales*, aut *arbitrariæ*; atque ita status inde emergentes iisdem vocibus, quibus relationes, et ipsi indicantur. Hæc moralium statuum origo; quorum notio distinctius nunc aperienda est.

§. 13. *Primigenii* et *connati* status illi dicuntur, - *quos homo a Deo naturæ auctore, seu, vi essentiæ suæ, habet, nullo alio facto accedente*: - *Supervenientes*, -

qui ob divinum, aut humanum factum homini accedunt; - qui postremi ex homine profecti, si ejus naturæ certa determinatione conveniant, *naturales* optime dicuntur.

§. 14. Primigenius hominis status, unica licet ex natura derivatus, pro diversis relationibus, quibus afficitur, considerari potest prout Deum, seipsum, et ceteros homines respiciat. Quantum ad Deum attinet, homo ratione status sui *Deo est omnino obnoxius*. Quidquid enim homini est præclari, et excelsi, omne a sapientissimo, beneficentissimo naturæ Conditore et Gubernatore maximo (§. 2.) fuit, et pendet. Si vero homo seipsum excutiat, facile sentiet se eximiis facultatibus præ ceteris animantibus instructum, et præclara quadam conditione ad veram felicitatem generatum fuisse (§§. 5. 6.): unde alter hominis *rationalis philautiæ status* cum seipso emerget. Quam naturæ præstantiam cum in aliis hominibus ex eodem fonte derivatam homo deprehenderit, indigentiam suam, et insitas se aliis adjungendi appetitiones, dotesque perspexerit,

facile se veluti humani generis partem, omnesque homines in mutuam opem natos accipiet; atque ita tertium hominis cum aliis *sociabilitatis statum* spectabimus.

§. 15. At humanitatis systema mancum habebit qui homines inter se uno hoc primigeniae sociabilitatis statu degentes consideret. Natura quælibet tum demum rite cognoscitur, cum ea ut fini suo assequendo idonea deprehenditur. Ea vero est humanæ naturæ indoles, ut sine aliis vinculis, quæ homines in eamdem vitæ consuetudinem adducant, universum humanum genus nec servari, nec perfici possit. Hominis ortus, informatio, tuitio, perfectio sine aliorum hominum conspiratione, et cura frustra expeterentur; ut cuique naturæ suæ cursum repetenti exploratum est, et alias latius explicabitur. A naturæ contemplatione igitur secernendæ non sunt *societates*; quas rite definies - *plurium conjunctiones ad eumdem finem communibus viribus obtinendum institutas*. - Harum communis nota est propositum finem socialibus viribus intendere.

Finis autem aut *naturalis*, et humanæ naturæ certa determinatione conveniens, ut humani generis conservatio, et felicitas: aut liber, et *arbitrarius est*. Unde societates vel *naturales*, et determinatas, vel pactitias, et *arbitrarias* dicimus.

§. 16. Societates itaque, cum certis relationibus homines inter se devinciant, totidem morales status habendæ (§. 12.); quarum contemplatio humanæ socialitatis systema patefaciet. Vetustissima inter societates habenda *societas conjugalis*; unde *Paterna* ex generatione profluxit: utraque ad propagationem, et perfectionem humani generis *a natura* ipsa *determinata*, licet in his humano facto quis reperiatur. Ex his maxime constat *naturalis Familiæ* status, quæ domestico Patrisfamilias imperio regitur; unde variæ manant conditiones, nempe, *Mariti* et *Uxoris*: *Patris*, *Matris* et *Liberorum*: *Fratrum*, *Sororumque*: aliorum denique, qui ex eodem primo vinculo descendunt. Huic familiæ statui adjungi potest altera simplex societas, *Herilis*, ex hominis facto tota deri-

vata: quam *Domini*, et *Servi* conditiones sequuntur.

§. 17. Ex pluribus familiis *Populus*, seu *Natio*, *Gens* conflatur, quæ etiam *Civitas*, seu *civilis societas* dicitur, qua nempe Patresfamilias omnes communi humano imperio, seu civili potestati subiiciuntur: unde *Imperantium*, et *subditorum* hausta distinctio. Haec necessaria civilis status nota est, qua civitas quælibet, licet pluribus hominibus constans, pro *persona morali* (§. 10.) merito censetur. Hinc *gentium inter se*, veluti inter personas morales, quarum nemo ab altera pendet, primigenius ille *status* reviviscit, cujus notas §. 14. expressimus. Civili societate constituta, plures inde adventitii status oriuntur: *Magistratus*, *Judices*, *Doctores*, *Milites*, *Artifices*, *aliique*: qui politici corporis perfectionem, et humanæ vitæ jucundam varietatem producunt.

§. 18. Cum itaque ex his, quæ hactenus disputavimus, a morali statu certus humanarum actionum ordo derivetur, mirum esse non debet, à diversitate præcipuorum sta-

tuum, qui in hominum vita spectari possunt, naturalis jurisprudentiæ divisionem petitam fuisse : quam nos ita breviter exhibemus . Spectantur homines, aut in simplici naturæ statu , seu tamquam humana individua uno communis naturæ vinculo inter se devincta: aut in aliqua societate constituti , et moralem personam efformantes . Quod justum, et injustum e naturæ contemplatione inquirit in prima hypothesi *jus naturæ privatum* : quod in altera , modo *jus naturæ sociale*, modo *jus gentium* dicitur . Si socialis status sit societas quædam minor : *conjugalis*, puta , *paterna* , *sociale* naturæ *jus* : sin vero *societas publica* sit , nempe , *civitas*, *natio* , *gens* , *jus gentium* vocabimus .



CAPUT II.

DE ACTIONUM HUMANARUM NORMA

UBI

De Lege, Juribus, et Obligationibus Generatim.

§. 19. Homo rationis munere ordinis particeps (§. 5.) norma, seu regula, cui liberas actiones (idem sentiendum de omissionibus) attemperet, non caret. Promptum enim homini est actiones dignoscere, quæ naturæ suæ conveniant, vel repugnent; atque inde boni, malique judicia (§. 6.) proferre. Sed interna rectæ rationis norma, Superioris imperio destituta, hominem quidem monere poterit, vere autem obligare non poterit. Hoc præstat Lex, uti ex ejus notione compertum fiet.

§. 20. Optima nobis videtur legis definitio, quam exhibet S. Thomas his verbis

(1)-*Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui communitatis curam habet, promulgata*: - cui ex ejusdem S. Doctoris sententia addendum videtur - *et sufficienti sanctione munita* - ratione, de qua postea. Ex tradita vero definitione quisque facile colligit 1.° legis *essentiam in ordinatione*, seu jussione, interdictione, concessione, *summi Imperantis*, ejus, nempe, qui communitatis curam habet; cui subditorum *obligatio* se ad illam conformandi respondere debet, quæ legis *effectus* est: 2.° legis *materiam in eo*, quod *rationi* consentaneum, et *communi bono*, legum *fini*, accommodatum sit: 3.° *subjectum* legis, nempe, *communitatem*, hoc est, societatem, cui communis finis propositus sit: 4.° tandem *formam* legis *in promulgatione* communitati facta: voce, aut scripto, parum refert: sat est ut subditis Imperantis voluntas innotescere possit, nulla enim lex quæ non appareat.

---

(1) 1. 2. Q. 90. a. 4. c.

§. 21. Sed ut lex habeat quodammodo complementum suum, et efficacissimæ actionum normæ munere fungi valeat, illud omnino necessarium est, ut pœnæ comminatione (quæ proprie *sanctio* est, licet nonnullis et præmii promissio legem servantibus sanctionis species videatur) nefarii homines a legis violatione deterreantur, ne optimæ quæque leges humana pravitate frustrentur. Quam ob rem illa definitioni supplenda curavimus - *et sufficienti sanctione munita* :- tanta scilicet, ut quisque probe videat plus sibi ex legis violatione mali, quam boni obventurum. Hæc tamen adjecimus, ut recepto mori serviamus, quo sanctio ut distincta a lege pars considerari solet : nihil enim vetaret ipsam pœnæ comminationem legis dispositione includere (1).

§. 22. Lex omnis ratione originis *Divina*, vel *Humana* est : illa Deum, hæc hominem habet auctorem. Divina lex vel exter-

---

(1) Vide *legem 7. ff. de Leg.*

na promulgatione, vel interno rectæ rationis lumine hominibus innotescit: *Positiva* illa, hæc *Naturalis* dicitur, quæ pro vario statu subjecti, cui applicatur, in *Jus naturæ*, privatum, vel sociale, et *Jus gentium* dispescitur. Illo homines singuli, aut minores societates: hoc gentes reguntur: eadem ratione, qua supra (§. 18.) naturalem jurisprudentiam divisimus. Positiva Dei lex in *Mosaicam*, et *Evangelicam* generatim distingui potest: diversas utriusque species evolvere hujus loci non est. Humanæ leges, licet a natura maxime derivandæ sint, cum tamen externa promulgatione innotescant, *Positivæ* omnes censendæ sunt, sive hæ *Ecclesiasticæ* sint, sive *civiles*: quæ humani juris species habentur.

§. 23. Divina humanaque lex prout actiones præcipit, vetat, permittit, optime in Præcipientem, seu *Affirmantem*, Prohibentem, seu *Negantem*, et *Permittentem* dividitur. Nec obiiciendum, legem permittendo non agere, cum obligationem non afferat; semper enim actio legis est in definitione ju-

ris cuique concessi, quod alii omnes ex lege ipsa quæ id indulsit, integrum servare obligantur: et hoc probe tenuit Modestinus cum scripsit - *Legis virtus hæc est: imperare, vetare, permittere, punire* (1) -. Sed jam quid obligationis, quid Juris nomine veniat breviter explicandum est.

§. 24. *Obligationis* vox a corporeis rebus ad intellectuales translata, in re nostra morale vinculum, quo adstringimur ad aliquid agendum, vel omittendum, designat. Jamvero morale vinculum hujusmodi, quo aliquid facere, aut omittere omnino debeamus, proprie a lege descendit, quæ justam cogendi vim a Superiore habet, cui pro imperio suo parendum est. Ita naturalis obligatio a rationis regula discreta. Hæc tota interna est, a convenientia actionis cum natura, et honestate petita: illa contra ex debito obsequio erga Superiorem, cui potestas est jussum suum tuendi, proficiscitur; unde

(1) *Leg. 7. ff. de Leg.*

prout in homine est merito definitur - *Moralis necessitas parendi divinæ voluntati naturali lumine notæ.* -

§. 25. *Juris* nomine hic intelligimus - *Facultatem legitimam* (non physicam) *ad aliquid agendum*, *vel habendum.* - Lex autem aut cogit, jubendo, sive vetando, aut permittit (§. 23.). Utraque hypothesi jura a lege descendunt. Ibi enim jus erit id agendi sine quo imposita obligatio impleri nequeat : hic jus erit concessione data utendi (eod. §. 23.). Sed lex, quæ cuidam facultatem tribuit aliquid agendi, vel habendi, necessario in ceteris reprobare debet quidquid legitimæ facultatis usum intercipere possit; secus, inane esset jus, danti, accipientique ludibrio. Jus igitur et obligatio sunt duo correlativa, quorum unum sine altero consistere non potest; si enim jus in uno, obligatio non impediendi usum juris in aliis cogitari debet. Facile hinc jurium, eisdemque respondentium obligationum quædam genera conjunctim trademus.

§. 26. Quæ ab ipsa hominis natura jura recta dimanant, dicuntur *universalia*, *primigenia*, *connata* : *particularia* contra, *adventitia*, *hypothetica*, quæ non a natura modo, sed ab aliquo Dei, vel hominis facto ortum ducunt. Relativæ obligationes iisdem nominibus indicantur.

§. 27. Alia est jurium divisio ex efficacia petita. Vel enim jura moralem facultatem includunt vim, si opus fuerit, adhibendi, vel tantum petendi, atque obsecrandi. Si primum, *perfecta*: si alterum, *imperfecta* jura vocantur. Perfecta jura conservatione, ac perfectione sui, rerumque suarum absolvuntur: imperfecta ad humanitatem, beneficentiamque aliorum spectant. Perfectis, imperfectisve juribus respondentes obligationes *perfectas*, *imperfectasve* appellant: non quo his obligandi vim denegent; animum enim debentis vere obstringunt: sed quo respondentis juris qualitatem designent.

§. 28. Sunt obligationes quæ actionem jubent, sunt quæ prohibent (§. 23): hæ *negativæ*, *affirmativæ* illæ vocantur. Nega-

tivæ obligationis eadem semper vis ; non item affirmativæ , quæ tempus , vires , opportunitatem agentis exposcit.

§. 29. Nec prætereunda jurium distinctio in ea quæ remitti possunt , et ea quæ non possunt. Juribus sine quibus propriæ obligationes impleri nequeant renunciare nemini licet : ceteris , sine alterius læsione, se abdicare quivis potest.

§. 30. His tandem adjungenda *interni* et *externi* juris notio , ne obscura vox legentes turbet. Internum jus vocant , cujus usum nec divina , nec humana lex reprobat: externum vero, quod impunitatem apud homines, non autem apud Deum præbet.

§. 31. Certissima itaque , nec non absolutissima ex voluntate divina, seu lege, humanarum actionum *norma* statuitur : cui si actiones conveniant , *justæ* ; sin autem repugnent , *injustæ* generatim vocantur : jure enim quod quisque habet æstimantur : quamvis permittenti legi respondentes actiones *licitæ* accuratius dici possent. Unde justitiam pro re nostra universe rite definiemus - *ha-*

bitum actiones suas ad legis normam conformandi. - A lege etiam *Conscientia*, et *Imputatio* exurgunt. Si enim actiones nostras cum lege contendamus, ut ex convenientia, vel repugnantia comparationis earum justitiam, vel injustitiam deprehendamus: judicium hoc *conscientia* dicitur: *antecedens*, vel *consequens*, prout de agendis, vel de actis judicat: quæ vel defendens, et *tranquilla* est; quam bene expressit Horatius

. . . *Hic murus æneus esto:*
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa-:

vel accusans, et *remordens*; in illos quadrans

. . . . *Quos diri conscia facti*
Mens habet attonitos, et surdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum (1):

---

(1) Juvenalis *Sat. XIII. v.* 193.

uti omnia quæ ad conscientiam pertinent, a clarissimo Ethices in eodem Archigymnasio Antecessore accuratissime tradita sunt.

§. 32. Sin autem actiones alienas cum lege comparemus, ut pro consensu, vel dissensu earumdem, auctoris meritum juxta legis sanctionem statuamus, judicium hoc *Imputationem* vocant, nomen ex arithmetica aptissime mutuati: quasi actiones cum lege comparatas in auctoris rationes ad præmium, vel pœnam, laudem, vel vituperationem ita referrent. Vera quippe ratio debiti in imputatione est, dum cuique quod per legem meruit redditur.

§. 33. Ex libertate *imputabilitas* (§.9.): ex lege imputatio est; imputabilitas, nempe, materiam, et quantitatem: lex jus imputationis continet. Ut igitur legitima imputatio habeatur, duo omnino necessaria sunt. 1.° Voluntaria, et libera actio in se, et in effectibus suis aliqua ratione ab agente intenta. 2.° Lex, quæ actioni ipsi consectaria quædam bona, vel mala ascribat.

Inde enim agentis meritum statuendum est (§. 32.).

§. 34. Huc itaque revocanda moralis philosophiæ principia, quæ in actionibus humanis libertatem, ejusque gradus diligenter expendunt: pro ratione enim, et modo voluntarii liberi, quod dicunt, crescit, vel decrescit imputabilitas; atque ideo quantitas imputationis (§. 33.). Ex eadem disciplina habeas etiam eximias intimæ actionum honestatis dimetiendæ regulas, unde sapiens legumlator intensioris cujusque meriti rationes subducere valeat, et debito honore legibus suis decorare: quem tamen, et humana lege remota, interim cordatus quisque virtuti ultro concedet. Providit enim summus Conditor ut honesto, vel turpi, laus, aut vituperatio natura responderet.

§. 35. Jurisconsultus itaque actionem ita expendet, ut ei legis sanctionem accommodet juxta legislatoris voluntatem: quæ si in re suæ jurisdictionis clare prolata sit, omnino sequenda; sin vero ambigue se habeat, ex rectæ interpretationis regulis quam

probabiliter eruenda est : quando Principis imperandi juri subjectorum obligatio respondet (§. 20.). Sed hoc ad positivas potius, quam ad naturales leges spectat ; illæ siquidem promulgantur ope sermonis , cujus imperfectioni , aut ambiguitati recta interpretatione quandoque medendum est. Naturalis vero legis , si quæ dicitur , interpretatio , in divinæ voluntatis de singulis actionibus cognitione , ex natura ipsa rectæ rationis ope derivata , tota consistit (Prol. §. 6.).



CAPUT III.

De Lege Naturali.

§. 36. Interiorem naturæ vocem, quæ hominem ad aliqua impellat, ab aliis revocet, quisque, nisi se plane fugiat, experitur: naturalem tamen legem, rite acceptam (§. 20.), absurde negarunt nonnulli. In hos itaque jam naturalis legis existentia vindicanda; dein ejus indoles, universæ disciplinæ commodo, probe statuenda est.

§. 37. Primum quod spectat, ut veram naturæ legem extare demonstremus, una Dei voluntas probanda est. Homo enim ratione *primigenii status* totus Deo obnoxius (§. 14.), summi naturæ Conditoris, et Conservatoris imperium detrectare non potest. Jamvero Deum germano jure suo leges hominibus imponendi reapse usum fuisse ex divinæ, humanæque naturæ contemplatione in cujusvis oculos insiliet.

§. 38. Nam si hominem probe attenderis, videas eum ut legi accipiendæ aptissimum,

ita certa , et efficaci norma plane indigentem, ut naturales fines attingat . Intelligentia , et libertate præditi , possunt homines leges noscere , illisque se conformare : pœnis , præmiisque commoti, quippe malum aversantes , bonum cupientes natura (§. 7.), latas leges optime servare valent : quæ omnia frustra Deus hominibus dedisset , si eos exleges plane futuros condidisset . Sed libertas ipsa , ingeniorumque diversitas , quæ in hominibus cernitur , valida agendi norma (§. 19.) destitutæ, æternas illas ex primigenio hominis statu manantes relationes (§.14.), quibus a mente divina præstantissimi fines sunt constituti , turbarent , everterent . At quis putet perfectissimum rerum omnium conditorem Deum , qui mundum hunc aspectabilem, et physicum numero, pondere , et mensura digessit , moralem longe nobiliorem , et excellentiorem in finem naturæ vi impulsum (§. 7.) , sine ordine , et lege constituisse ? Quin contra, posita homnis creatione , et humanæ naturæ fine statuto , divina voluntas in jubendo , aut vetando , cum perfectissima

ratione, qua Ipse naturæ a se creatæ respondentes, aut contrarias actiones intuetur, illico consociatur? Nonnè voluntatem hanc in Deo ipsæ ejus perfectiones, quibus operum suorum fines intendit, necessario exposcunt? Cujus quidem voluntatis argumentum certissimum optimus Creator hominibus indidit moralia quædam principia, quibus omnes ultro assentimur, cœlestis legis veluti prœcones, quibus obsurdescere homo, nec si velit, potest.

§. 39. Extat igitur Naturalis lex, cujus definitio perspicua jam erit: nempe, *Ordinatio divinæ voluntatis circa liberas hominum actiones, et omissiones, ad constitutionem, et felicitatem humani generis, rationalis naturæ ordini æterna mente comprehenso conformem, necessaria, per rectam rationem promulgata.* Qua ex definitione naturalis legis *fundamentum* habetur in summa illa regula, ordine, æternaque veluti lege, seu ratione divina, quatenus humanam naturam certis determinationibus ad suos fines statutis comprehendit: quarum custodia in humanis

actionibus *rationalis naturæ ordinem constituit*. Et quando ex hac norma omnis veritas pendet ; quidquid enim æternæ legi consentit verum , et bonum : quidquid adversatur falsum , et malum est (§§. 5. 6.) ; nihil prohibet nostri juris fundamentum *morale verum* dicere : quod nostra sententia definiri potest - *convenientia actionum liberarum naturæ intelligentis cum suis moralibus determinationibus*. - Hominis itaque natura in animo , et corpore , in actionibus , et statibus suis spectata , prout supremo illi ordini respondet , vel adversatur (Cap. I.) , naturalis juris *cognoscendi principium* statuendum est. Inde enim recta ratio , naturæ ordini consentiens (§. 6.) , optime videt quæ actiones intelligentis naturæ finibus repugnent , aut ita necessario conveniant , ut aliter summi naturæ Conditoris consilium invertatur ; atque ita prohibentis , seu præcipientis naturalis legis , et obligationis *objectum* constituit.

§. 40. Jamvero *eadem* in hominibus cunctis *natura intelligens* ; et ideo *eadem*

judicandi regula: convenientia, scilicet, naturæ rationalis cum ordine, quo ipsa a Deo comprehensa, et producta fuit, quemque Deus post liberam hominis creationem, servari necessario vult (§. 38.): *idem cognoscendi medium*, nempe, recta ratio est. Essentiæ rerum, ut Metaphysici demonstrant, æternæ, necessariæ, et immutabiles sunt. Naturalis igitur lex *universalis*, *æterna*, *necessaria*, *immutabilis*, et *evidens* censenda est. Profecto, nemo qui ratione utatur se, ac naturam suam ignorare potest. *Et quoniam eadem natura*, ut bene Tullius vidit (1), *cupiditatem ingenuit homini veri inveniendi; quod facillime apparet, cum vacui curis, etiam quid in cœlo fiat, scire avemus: his principiis inducti omnia vera, id est, fidelia, simplicia, constantia, diligimus: tum vana, falsa, fallentia odimus, ut fraudem, perjurium, malitiam, injuriam*: ita naturalem legem morali vero totam innixam

---

(1) *De Fin. lib. II.*

(§. 39.), prius quodammodo quisque sentit, quam cognoscat. Quod si ob varios hominum status, rerum, temporumque adjuncta in iis, quæ a primis, maximeque necessariis principiis remotìora sunt, aliqua ambiguitas juris occurrat, id vel ratiocinantium vitio, vel ingenii hebetudini, vel cupiditatibus tribuendum est. Certum autem perplexitatem hujusmodi nec nativæ juris perspicuitati officere, nec primario rerum ordini, et humanæ felicitati damnum afferre.

§. 41. Legis naturalis auctor, seu *causa effectrix*, ut ex definitione patet, Creator, et Gubernator rerum *Deus* est: *subjectum*, *Homo*; cui lex hæc *ratione* innotescit: *finis*, *divinarum perfectionum manifestatio*, et humani generis *felicitas*, quæ divinæ sapientiæ, et bonitatis opus elucet.

§. 42. At nullané legis naturalis *sanctio est*? Sane, præsenti hac vita naturali justitiæ, ut plurimum, adjunctam esse felicitatem: quæ quidem mundanis hisce fluxis, et caducis rebus haberi possit: injustitiæ contra infelicitatem, ex iis quæ de virtutum præstantia, de

vitiorum deformitate, atque damnis in Ethica late disputantur, quisque facile consentiet. Quæ si naturæ potius commoda, aut incommoda physicis bonis, malisve adhærentia, quam præmia, supplicia ex legislatoris sententia statuta a quibusdam reputentur: velim hi animadvertant commoda, aut incommoda hæc naturali quodammodo nexu virtuti, aut vitio adjuncta satis per se summi naturæ Conditoris, et Legislatoris consilium patefacere morali bono, vel malo, physicum bonum, vel malum, ceu præmium, aut pœnam, et hac vita, rependendi: velim conscientiam pro bene, vel male factis tranquillam, vel anxiam (§. 31.) attendant, cujus constans agendi vis rationem veræ sanctionis omnibus ostendit. Uti enim bene sibi consciæ mentis solatium, et divina fere dulcedo hominem vel extremo fortunæ loco positum perpetuo comitantur, ita admissi sceleris recordatione et is, qui imperio, et vi late securus est, crudelissime plectitur. *Neronem* parricidii reum ex Tacito nosce - *Sed a Cæsare perfecto demum scelere, magnitudo*

ejus intellecta est : reliquo noctis modo per silentium defixus , sæpius pavore exurgens, et mentis inops lucem opperiebatur , tamquam exitium allaturam. - Huic adde *Caligulam - insomnio maxime incitatum, ut non plus quam tribus nocturnis horis quiesceret, et ne his quidem placida quiete , sed pavida miris rerum imaginibus* , - ut Svetonius refert : *Caracallam - paternis , fraternisque manibus vexatum* , - teste Xiphilino, et veram naturalis legis sanctionem in consci entia deprehendas .

§. 43. Non tamen inficiandum sanctionem , quam hactenus descripsimus , imperfectam esse . Si enim præmium spectes , non semper gradui virtutis felicitatis gradus respondet : immo saepe probum , et honestum virum fortunæ casibus, vel improborum odiis adeo vexatum cernas , ut ei præter bene consciæ mentis solamen nil amplius supersit : quod præ remuneratore Deo, et naturali appetitu ad absolutam felicitatem exiguum præmium habendum. Pœnam quod attinet , sævi quidem delictorum ultores conscientiæ

laniatus ; sed hi atrocioribus delictis adjuncti , et longo pravorum usu minus molesti : unde illud absurdum , quo delinquentium malitia ingravescat , pœnam remitti . Quæ omnia sanctionis imperfectionem evincunt.

§. 44. Jamvero quis putet sapientissimum , justissimum , optimumque legislatorem Deum digna sanctione legem , quam dedit , non confirmasse ? Quæ cujusque humani legumlatoris prudentia est (§. 21.) , in perfectissima natura divina desiderabitur ? immo infinitis ejus attributis , quantum subjectum ferat , respondeat . Non omnia hujus vitæ ambitu concluduntur : ad altiora generati sumus , et nos intus id experimur . Hominum animæ immortales sunt (§. 3.) : et Deus providentia sua res a se creatas gubernat (§. 2.). Quocirca credere omnino debemus altera vita Deum legis naturalis sanctionem pro justitia et bonitate sua perfecturum .

§. 45. A naturæ lege obligatio descendens officiorum , quibus homines fungi debeant, origo est; actiones enim, quae ad legis præscriptum faciendæ, vel omittendæ sunt,

naturalis juris scriptores *officia* appellant: et quando obligatio, vel universalis, primigenia, connata: vel particularis, adventitia, hypothetica (§. 26): perfecta, vel imperfecta est (§. 27.): officia quoque *connata*, vel *hypothetica*: *perfecta*, vel *imperfecta* dicuntur.

§. 46. Sed nobilis in primis est distinctio officiorum, quæ *Deum*, *nosmetipsos*, *aliosve homines* respiciunt. Manant hæc ex primigenio illo statu (§. 14.), qui novis quidem relationibus cumulari poterit; exui vero, donec humana perstet natura, non potest. Huc igitur omnia naturæ legis præcepta redeant oportet: nosque jam præstantissima de divino cultu tradamus.



CAPUT IV.

De Officiis hominis erga Deum.

§. 47. Ut homo in se mentis aciem intenderit, noscet apprime naturam suam a Deo totam pendere (§. 14.): hoc satis, ut ex æterno illo rerum ordine, quo recta ratio morale verum dijudicat (§. 49.) (et hoc indicasse semel sufficiat), cito deprehendat Deum hunc pro dignitate sua colendum esse. Connata hæc est obligatio, quæ homines cunctos ad Dei cultum adstringit. Hinc Religio naturalis exoritur, quæ commode definiri poterit - *Systema obligationum, quæ e naturalibus relationibus inter Deum, et homines eruuntur.*

§. 48. At enim cultum, qui Deum deceat, sine divinæ naturæ notitia, et sensu quodam vividiore, scire, et reddere non possumus. Revera cultus divini nomine aliud non accipimus quam *actionem naturæ intelligentis, per quam hæc divinas perfectiones testatur.*

Eadem igitur obligatione, qua dignus Deo cultus præcipitur, divinæ etiam naturæ accuratior, quæ per hominem fieri possit, contemplatio imperata consenda est. Ex hoc officia, quæ ad naturalem religionem pertinent, bifariam dividuntur. Alia *Theoretica*, alia *Practica* sunt. Illis quid de Deo sentiendum: his quomodo Deus colendus edocemur.

§. 49. Primum ex his quæ de Deo sentire debemus est *existentiæ suæ certa persuasio*. Cujus veritatis adeo clara est demonstratio, sive causarum progressum, sive universi machinam, sive gentium omnium consensum attendas, ut de ea dubitare homini ratione utenti datum non sit. Athei itaque excusatione digni non sunt, qui rationi plane obsurdescunt, et gentium universarum consensum, cum nihil ipsi pro impietate sua afferant, impudentissime contemnunt: quin immo, ut humanæ societatis vincula firmissima abrumpentes, a quavis communitate repellendi sunt.

§. 50. Alterum est - *Deum esse nniversi hujus conditorem.* - Nulla quæ originem ha-

buit res a se produci potuit : ergo omnia quæ orta a Deo condita sunt. Falsi qui naturam rerum omnium causam producunt ; vel enim vim agendi, quæ in rebus cernitur, vel summam rerum omnium causam intelligunt. Prima significatione, auctorem efficaciæ illius noscant oportet ; altera, Dei nomen tantum fastidiunt, rem ponunt. Errant qui corporeum Deum sibi reprehesentant. Ut materiæ admixtum aliquod concipias, jam ejus ortum mediteris necesse est. Compositum quippe ens, ut ex ontologicis notum est, necessarium esse non potest : si vero necessarium non est, contingens agnoscendum, hoc est, ab alio dependens. Qui mundum a se æternum dicunt, aliquid a Deo non conditum impie obtendunt.

§. 51. Tertiam de Deo sententiam habeto - *hanc rerum universitatem divina providentia regi, et conservari.* - De qua ut certus sis, sat est consideres te, qui tamen eximium animal audis, existentiæ tuæ rationem intus numquam habere, quando ex te non extitisti, nec existentiam tuam produce-

re potes : sat est prudentiam humanam in agendo consideres, ut eam eminentiori modo Enti omnium creatori attribuas.

§. 52. Quarta de Deo sententia esto — *cujusvis imperfectionis expertem esse*, *seu infinitis perfectionibus præditum esse.* — Ea loquendi formula humanam imbecillitatem decet, ut hæc infinitum, cujusmodi ens necessarium esse debet, aliquo modo designet; cui terminus quisvis repugnat. Hinc de ejus *unitate* certa sententia. Nam, si ab alio Deus pendet, hoc imperfectus; si non : idem simul esse, et non esse poterit, quum plures Dii æquali potentia præditi inter se dissentiant. Sin de imperio conveniant, hoc ipso limitati: si dissentire non possunt, nemo in se liber, nemo summe perfectus. Ceterum divina perfectio vel negativis, vel superlativis vocibus adoranda potius, quam explicanda est : cuilibet tamen obligatio incumbit divinam naturam, quantum possit, cognoscere.

§. 53. Hisce cognitis, facile homo ad practica officia descendet, quibus dignum Deo cultum exhibeat. Cultus autem vel *in*–

ternus est, vel *externus*. Prior in piis animi affectionibus situs est: alter externis signis sese prodit. Utroque summa Dei natura coli debet. Jam de interno cultu derivantur officia Deum supra cetera, omnibusque viribus amandi: quando perfectionis, et bonitatis culmen est; unde amor in eum, tamquam objectum suum, rapiatur oportet, non concupiscentia modo, sed et benevolentia, si ordinatus amor præ oculis sit. *Spes*, *Fiducia*, *Acquiescentia* ex bonitate, potentia, et providentia divina emergant. *Filialem timorem*, *absolutissimam Subjectionem*, et *jugem Gratitudinem* omnipotens, optimus, justissimusque creator et conservator Deus sibi vindicet. Ex *fiducia*, et *spe* divinæ opis *interna invocatio*: ex amore, de offensis summo Bono illatis *Pœnitentia* oriatur. Tandem ex summo, quem Deo debemus, cultu officium existat divinam voluntatem, si quæ externis signis manifestari contigerit, prompte, ubi de facto certi simus, amplectendi, quin rei præceptæ rationes expendere humano intellectu quis præsumat: sat enim rationis in

divina auctoritate esse debet. Hinc revelatæ Religionis veritatem indagandi obligatio, quam si Deum vere amamus, negligere non possumus.

§. 54. Hæc solo animo præstari possunt. At quis dubitet externas etiam hominis actiones quæ Deum respiciant, piis animi affectionibus conformari oportere? Certe, si externa actio humana actio est, seu a libera hominis electione procedens (§. 8.): quam unam naturalis lex considerat (§. 39.): et hæc divinas perfectiones testari debet; hoc enim ipsa divini cultus ratio exigit (§. 47.). Hinc primum *externi* cultus officium habetur: nihil in Deum exterius agere quod perfectissimæ ejus naturæ, et internæ pietati consentaneum non sit. Honorifice itaque de Deo loquamur, ejusque Nomen temere non assumamus: multoque magis caveamus a quacumque actione, quæ recta, vel oblique ad Dei injuriam spectet. Sanctissimum, veracissimum, justissimumque Deum inconsulto, fallaciter, injuste dictorum, promissorumque nostrorum sponsorem ne demus: quæ vero recte per Deum

juravimus, quæque honeste Eidem promisimus exacte custodiamus. Pietatis quæcumque simulatio, Deo injuriosissima, vitetur. Ex amore itidem, summaque veneratione Deo debitis compertum habendum, numquam, ad mortem etiam vitandam, licitum esse Deum abnegare, aut ejus perfectissimæ naturæ externe honorem detrahere: naturalem religionem, ubi res postulet, profitendam esse.

§. 55. Sed et altera externi in Deum obsequii pars est, quæ jam proprie cultus externus vocatur, intimam cordis venerationem Deo certis actibus in sensus incurrentibus testificari: idque naturalis religionis officium non una ratione habendum est. Hoc ab homine exigit animi, corporisque famulatus, quo ipse beneficentissimo Creatori, et Conservatori suo natura obnoxius est: hoc animæ corpori junctæ conditio, quæ externis signis interiores affectus juvat, conservat: hoc divinæ gloriæ amplificandæ, aliosque ad Dei cultum exemplo excitandi studium, quod ab amore, quem Deo debemus, sejungi non potest: hoc tandem ipsa amoris summa vis,

qua Deus diligendus (§. 53), interno mentis motu contineri nescia , forasque erumpere, omnesque vires , quæ ei sint , explicare , et augere etiam, si fieri possit, natura gestiens ab homine quodammodo extorquet. Hinc numerosiores soni notati, verbaque numeros referentia reperta : hinc naturales vires auctæ in Dei honorem sunt: tantum abest, ut homo in summi Numinis cultu quid virium, quas habet , omittat.

§. 56. Externi hujus cultus cœremonias quod attinet , fatendum est has ex lege naturæ determinatas non esse : (1) et hinc etiam revelatæ religionis necessitas sese prodit, qua de externis ritibus , quibus Deo placere , nec non de mediis, quibus cum ipso in gratiam post admissa scelera redire valeamus , certo edocemur. Attamen precationes, oblationes, tamquam fiduciæ, reverentiæ, subjectionis communia signa , naturalis religio-

---

(1) Vide S. Thomam 1. 2 Q. 99. *art*, 3. *ad* 2.

nis partes merito habeantur. (1) Contra Dei cultus naturæ legi, et divinis perfectionibus plane repugnantes, ceu superstitiosi, et indecori repudiandi sunt. Huc usque ratio: cetera D. O. M. revelata lege manifestavit, unde nobis Catholicis feliciter contigit necessaria, et certissima haurire. (2) Alii, qui extra sunt, in divinæ revelationis veritate exquirenda desides esse sine piaculo non possunt (§. 53.).

---

(1) S. Thom. 2. 2. *Q.* 83. *a.* 3. *et* Q. 85. *art.* 1.

(2) Næ decepti qui humana ratione una absolutam undique religionem statui posse putant. Et quæ rationi pervia divina auctoritate contra mentis aberrationes firmanda omnibus sunt; quæ autem finitæ rationis captum excedunt: qualia in infinita Dei natura esse oportet: nosse, debitoque cultu testari quis poterit, nisi Deus ipse ante patefecerit? Vel Ethnici viri rationi plus æquo alias fidentes, uti in aliis naturæ legis partibus, ita hic maxime divina monita expectabant. *Necessarium est igitur expectare* (Socratem cum Alcibiade disputantem refert Plato *Alcibiade* 2), *donec quis doceat, quo animo erga Deos, et erga homines esse oporteat.* Alcib. *Quando vero tempus illud erit, Socrates, et quis illud docturus est?* Socrat. *Hic est ille nimirum, qui de te curam gerit.* Alcib. *Auferat sive caliginem, sive quid aliud voluerit. Ita enim me comparavi, ut nihil eorum, quae in me imperaverit, subterfugiam, quicumque tandem vir ille fuerit, dummodo melior sim evasurus.*

CAPUT V.

De Officiis hominis erga seipsum.

§. 57. Si humanæ naturæ contemplatio, ut sæpius dictum est, divini Legislatoris voluntatem retegit, rationalis illa philautia, ex primigenio statu derivata (§. 14.), divinum præceptum de suiipsius felicitate curanda omnibus ostendet. Huc enim naturalis amor, quo nos prosequimur, necessario spectat, modo falsa boni specie non decipiamur. Omne igitur hominis erga se officium eo pertinet, ut unusquisqué amorem sui ad felicitatem, cui conditus, quamque naturæ lex intendit (§. 41.), ex rectæ rationis præscripto constanter attemperet. Unde intelligitur philautiam rationalis naturæ ordini conformem officiorum erga seipsum fontem esse.

§. 58. Jamvero amor, si ordinem servet, in naturæ bonum, seu perfectionem, rapiatur oportet; recte enim amorem defini-

tum accepimus - *voluntatis affectionem, qua ex contemplatione perfectionis, seu boni, voluptatem, seu inclinationem versus id concipimus.* Proba itaque philautia homo naturæ suæ, animi, nempe, et corporis, statusque sui perfectionem curabit: at in præcipuam sui partem, intellectum, et rationem maxime feretur. Nam, ut bene Tullius vidit (1) - *cui proposita sit sui conservatio, necesse est huic partes quoque sui caras esse, cariores, quo perfectiores sint, et magis in suo genere laudabiles.* Hisce regulis quid in sui dilectione, et felicitate curanda justum, injustum, licitum homini sit (§. 31.) appareat; naturalis enim obligationis, de qua nos agimus, objectum (§. 45.) intra naturæ fines (§. 39.) subsistit (2).

§. 59. Sane, *prima naturæ*, ut Stoici dicebant, stimulos, instinctus nos appella-

---

(1) *De Fin. lib. V.*

(2) Præclare docuit Zallinger *Inst. I. N. et G. §. XII. a. b. c. d.* esse perfectionem, quæ naturali obligationi non subsit.

mus, animal quodque simul atque natum est ad sui conservationem, et ad suum statum, et ad ea, quæ conservantia sunt ejus status impellunt: ab interitu autem, iisque rebus, quæ interitum videantur afferre, repellunt. At appetitus hic, animalis naturæ finibus conclusus (§. 6.), humani officii regulam non constituit (§§. 8. 9.). Officium tunc existit, quum homo se ac statum suum ratione expendere, moralisque veri (§. 39.) judicia instituere valeat. - *Quemadmodum enim*, docte Seneca (1), *omnis natura bonum suum, nisi consummata, non profert, ita hominis bonum non est in homine, nisi cum in illo ratio perfecta est*. Ex quo illud sequitur, ut cum primis naturæ ad rationem perducamur, postea ipsa recta ratio nobis carior esse debeat, quam illa sint, a quibus ad hanc venerimus; quod enim præstantius in nobis comperimus, id maxime sequamur oportet.

---

(1) *Ep.* 124.

§. 60. Hinc prima hominis cura in animi cultura impendenda est. Animus vero tunc perfectus censetur, cum illius præcipuæ facultates, intellectus, et voluntas finem, quo spectant, attigerint. Intellectui verum, qua late patet (§. 5.), propositum est. Ne igitur quisquam eximiam sui partem hebescere sinat, vel ad inepta, aut prava investiganda convertat; sed ea quisque ad naturæ veritates detegendas utatur: maxime autem illas notiones evolvat, quæ ad officia sua rite obeunda, et ad generis humani felicitatem promovendam spectant. Et quando hæc omnia noscere non possumus, nisi antea naturæ nostræ statum, vires, finem probe perspexerimus, illud in primis a naturæ lege præceptum est, ut quisque accuratiorem, qua fieri possit, sui cognitionem acquirat: quod veteres Philosophi Apollinis templo aureis literis merito inscripserunt - Γνωθι σεαυτον - *nosce teipsum.*

§. 61. Ut vero homo seipsum excusserit, totumque tentarit, bonorum extremum, quod sibi expetendum sit, apprime noscet:

nempe, D. O. M. quo cetera bona referantur oportet, et quo consecuto, nihil reliquum esse potest: uti in Ethica uberrime probatum est; atque ita *voluntatem*, cui bonum pro fine est (§. 7.), sedulo perficiendam curabit. Hoc autem quisque efficiet, si in affectiones suas inquirat, pravos motus cohibeat, cupiditates ex ratione moderetur, si denique virtutum usu mores ad divinæ voluntatis normam componat; quæ, ut vera naturalis obligationis origo est (§. 24.), ita nunquam falsum pro vero bonum, contra naturæ fines (§. 58.), nobis obtrudet.

§. 62. Non inde tamen barbaricæ philosophiæ, quam temere Pythagoras, Socrates, et Stoici aliquando secuti sunt, placita excipienda: corpus carceris loco esse, et præter essentiam suam homini contingere. Aliud tenerrimus naturæ sensus, præscriptaque a summo Conditore utriusque substantiæ, qua homo constat, commercii lex suadent. Hinc post animi bona corporis sui integritas non minus, quam incolumitas, et sanitas, cuique naturæ præcepto commendatur. Ne-

quidquam enim Deus corporis organa tam solerter ad vitam, sensus, motusque conformasset, nisi humanæ libertati frænum injecisset, ne Conditoris consilium lubitu suo perverteret. Unde et illud exploratum, hominem divinum opus, quod in sua creatione absolutum est, dominii jure non habere, sed usu.

§. 63. Ex his grave facinus eorum æstimandum, qui vitæ tædio, aut ærumnis molliter confecti mortem sibi consciscunt. Vesania hæc ex perversa Orientalium philosophia in græcam illapsa Romanos quoque pervasit, quibus Stoicorum disciplina sententiarum gravitate summopere commendata. Æternum tamen manebit, secluso peculiari Dei impulsu, de quo cordatus nemo dubitare possit, autochiriam, hoc est, sui occisionem propria manu factam, naturali jure vetitam esse. Calamitatibus pressus, si vivis, hoc ex Deo est; ex te enim nec extitisti, nec stas (§. 51.): donec igitur in humanis es, certissimam de existentia tua divinam voluntatem agnoscas oportet,

cui voluntaria sui cæde contradicere injustum est (§. 31.). Ad hoc, ipsa vitæ indoles arbitrium se occidendi homini abnegat. Vita enim homini data est veluti statio quædam ad certa officia, quæ a divina providentia hic offerantur, obeunda. Divino siquidem imperio, quanti sumus, obnoxii in hunc mundum venimus (§. 14.). Hoc satis ostendit nullum plane homini directum jus in vitam suam esse posse. Ecquis enim sciat quid a nobis summus Dominus, dum in humanis versamur, exigat? Quoties igitur nostra voluntate vitam, quam Deus nobis servat, proiicimus, aliud non agimus, quam stationem nobis a summo Imperatore assignatam injuste deserere. Ita de Deo, rite tamen accepto, vere se habet illa Pythagoræ vox, quam Tullius refert (1) - *Vetat Pythagoras injussu imperatoris, id est, Dei, de statione, et præsidio vitæ decedere* -.

---

(1) *De Senectute*

§. 64. Jam malorum, quibus afflictaris, vim quantumvis extende, nunquam his proba philautia deliberata morte finem statuas. Corporis enim bona præsentia, si quæ sint, futura, quæ scire non potes, vita sublata, perdas omnia : animi autem bona eximia, tam lata virtutum materie amissa, deseras non modo, sed gravissimum ejusdem malum, altera vita digne luendum, scelere patrato, admittas (§. 44.) : quod recto se diligendi ordini (§§. 58. 59.) omnino repugnat.

§. 65. Non tamen injustum, immo decorum, et aliquando imperatum (§.55.), vel præsentissimo vitæ discrimini se obiicere, si præstans aliqua virtutis, aut officii ratio id postulet : quemadmodum unicuique licitum est, et summe commendabile corporis sui vires ad præstantius virtutis bonum, afflante Deo, austeriori pœnitentia, et jejunio atterere. Ceterum, quod de autochirìa diximus, et iis aptandum qui in membra sua sæviant, ea mutilando, nisi id fiat ad vitam servandam ; tunc enim pars toti

merito cedit : de quo tamen in necessitatis jure videbimus. Idem de voluntaria sui eviratione judicium esto. Injusta omnis actio, quæ recta in sui cædem, et destructionem fertur; non minus enim vitam, quam integritatem sui corporis cuique commendat natura (§. 62.).

§. 66. His accedit sanitas, et valetudo, quæ, nullo præstantiori fine præposito, negligenda non est. Hinc etiam ingluviei, ebrietatis, intemperantiæ demum reliquæ pravitas comperta, quibus fædissimis, præter animi labem, quæ ex vitio est, corpus frangitur, mens hebescit, maturiorque leti gradus efficitur. Notitia sui corporis, et observatione eorum, quæ prodesse soleant, aut obesse, et continentia in omni victu, atque cultu valetudo optime sustentabitur.

§. 67. Quæ hactenus in homine perficienda curavimus ad internum hominis statum pertinent; sunt enim ejusmodi, ut intimæ cujusque naturæ vires determinent (§. 10.). Sed multa homini externe accedunt,

quæ vel physico statui servando omnino inserviunt, vel maximum ad bene vivendum momentum afferunt: quæ generatim *status externi* nomine designantur (§. 11.). Præcipua inter hæc habenda *copia rerum*, quæ vitæ necessitati, et commoditati suppetat, et *bona* nominis nostri *fama*, *et existimatio*, quæ aliorum hominum, et proborum præsertim, auxilia nobis conciliat, quibus sublatis, nec internum statum perficere commode possumus (§. 14.) Cui igitur sui perfectio, et felicitas imperata (§. 57.), ei quoque bonorum, et existimationis cura, quæ illi inserviat, præcepta est.

§. 68. In sui dilectionem igitur delinquunt qui, non eximiæ virtutis, ad quam divinitus vocentur, proposito, sed ut otio indulgeant, eo paupertatis, et miseriæ descendunt, ut aliena auxilia ad necessaria expectent. Sed et illi probæ philautiæ desertores qui pecuniam, opes undique conquirunt, præstantioribus officiis plane posthabitis: quando externam perfectionem internæ absurde præ-

ponat : quum contra illa hujus causa curanda sit.

§. 69. Aliorum de perfectione nostra judicium, quæ *existimatio* est, verbis prolata, *laus*, actibus externis *honor* dicitur, si contemnimus, amorem nostri abiicimus, quum validum felicitatis adjumentum proiiciamus. Ad hoc, ita a natura comparati sumus, ut honoris sensu a plurimis flagitiis retrahamur; carior hinc nobis naturalis hæc vis, qua meliores efficimur, esse debet. Factis igitur, dictisque, quæ famam nostram comminuant, perdant, abstinendum : sique ea aliqua ratione imminuta, vel amissa sit, quantum in nobis est, reparanda. Cave tamen ne existimationis curam in superbiam, et jactantiam vertas. Ne calumniis, contumeliis, infameris, despiciaris perfecto jure postules. Laudes, distincta honoris signa, remota conventione, in primigenia sociabilitate (§. 14.) injuste, et ambitiose reposcas.

§. 70. Hæ naturales obligationes, quæ hominem se conservare, et perficere jubent. At inanes omnes, nisi homo legitima facul-

tate polleat ea faciendi sine quibus muneri suo satisfacere nequeat. Quot igitur obligationes circa seipsum enumeravimus, totidem jura eodem tendentia noscenda sunt (§. 25.): quæ cum *cujusque statum* a natura datum, vel externe aceedentem, attingant, *perfecta* merito habeantur. Unde illud apertius intelligitur quod supra (§. 27.) præjecimus, perfecta uniuscujusque jura conservatione, et perfectione *sui*, rerumque *suarum* absolvi.



CAPUT VI.

De Officiis hominum erga alios.

§. 71. Sed homo non sibi solum natus est. Infantes considera, in quibus incorrupta naturæ vox est, ut gestiant paribus colludere, et hoc similium congressu a fastidio, et lacrymis ad risum, jocosque cito vertantur. Quo vero spectet interna illa naturæ vis, qua secundas nostras res cum aliis communicare avemus, ærumnis, quæ alios premant, angamur, nihilque humani, ut est apud Comicum, a nobis alienum putemus, nisi ut certo pateat nos ad humani generis societatem ferri natura?

§. 72. Ratio autem quæ hominem a natura inchoatum perficit (§. 59.), apprime noscit frustra Deum loquelæ munere, ceterisque affectionibus, quæ aliorum hominum usum desiderant, homines ornasse, si eos solitarios, segregesque victuros condidisset. Dein

humanam naturam probe expendens illud compertissimum tenet, sine aliorum hominum auxilio neminem perfectionem non modo, sed ne existentiam quidem suam producere posse. Cui ignota infantiæ, senectutis, infirmitatis necessitas, juventutis pericula, virilitatis incommoda, ni aliorum ope nutriamur, informemur, defendamur? Hæc universorum hominum natura, quæ satis ostendit homines in mutuam opem a summo conditore, et legislatore Deo productos fuisse. Ea igitur hominis in homines animi affectio esse debet, quæ mutuæ huic auxiliorum communicationi respondeat; hanc enim æterna moralis veri ratio, cui naturalis lex innititur (§. 39.), in homine expostulat. Jamvero hæc animi affectio humanæ indigentiæ solatrix, communisque boni studens, et a benevolentia dissociari nescia, qualem, nempe, auxiliorum communicatio a Deo imperata flagitat, recepto jam penes rerum moralium scriptores nomine, *sociabilitas* dicitur; quæ proinde fons officiorum omnium, quibus homi-

nes invicem se prosequi debent, statuenda est (1).

§. 73. Expendentes itaque quæ humanam vitam, communisque naturæ commercia contineant, adjuvent, quæ destruant, impediant, officiorum, quæ aliis debeamus, capita facile statuemus. Jamvero communis vita, et humanæ naturæ commercia tunc bene procedent cum homines aliorum jura observent, et mutuam opem in communem utilitatem impendant. Unde intelligitur eorum, quæ aliis præstanda sint, summam ad tritissima illa redire - *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris:-Quod tibi vis fieri fac et alteri.*- Uti enim ex primo omnis injuria late repel-

---

(1) Cui sociabilitatis notioni optime aptatur cordatissima Zallingeri observatio *Inst. I. N. et G.* §. II. (*b*), quæ sic se habet - Generatim dici potest. hominem non sibi tantum, „ sed aliis quoque hominibus natum esse; idque esse natu- „ ræ, ejusque auctoris consilium, ut alter alteri succurramus „ quaque ratione. Neque tamen id obstat, quo minus altio- „ re ductu hominum consuetudine quis excedat, et sublimio- „ ri vitæ instituto tantumdem prosit humano generi quan- „ tum qui in medio versantur foro. -

litur, ita ex altero amplissima benefaciendi materies statuitur: quæ duo sanctissime expressit Servator noster altero legis præcepto - *Diliges proximum tuum sicut teipsum* (1).

§. 74. Jam de injuriis, quæ strictius in alterius juris perfecti violatione consistunt, universalis, connataque juris naturæ obligatio est - *Neminem lædito* - : quæ negativa quum sit, nullo non tempore vim suam exerit (§. 29.), modo legis materia permaneat. Affirmativa altera - *Jus suum cuique tribuito*:- quæ latiori conceptu suo, ut primam continet, ita injuriæ alteri illatæ sarcitionem expressius præcipit. Quot igitur perfecta hominum jura, connata, sive hypothetica: totidem injuriæ capita, et officia perfecta, connata, sive hypothetica statuenda.

§. 75. Connata hominis, et perfecta jura ex rationali philautia a Deo præcepta derivata, exposita (§. 70.): *interni*, nimirum, *externique status* sui *conservatio*, et

---

(1) Matth. XXII. 37.

perfectio. Præterea observanda sunt jura, quæ a permittente lege descendunt, quæque ab aliis turbari non possunt (§. 25.). His in primigenia hominum sociabilitate adjungenda, *Jus æqualitatis*, et *Jus securitatis*, quorum primum *Jus independentiæ*, rite tamen acceptum, ut mox, alterum *Jus defensionis*, *cautionis*, et *indemnitatis* comprehendit.

§. 76. Nam si eadem in hominibus cunctis natura, eademque lex est (§. 72.), jus quoque inter homines æquum esse debet (§. 25.). Hoc satis ut *juris* æqualitas naturalis statuatur, qua, nempe, quod uni justum est id et alteri cuivis esse debeat. Sed si homines inter se æquales, alii in alios imperium non habent. Hinc *independentiæ jus* exoritur per remotionem imperii, quod cum perfecta æqualitate juris in omnibus componi non potest, ut suo loco videbimus. Independentia itaque, et libertas naturæ statu eo spectet, ut quisque suis in actionibus, modo aliorum injuria abstineat, proprium judicium nemine jure vetante sequa-

tur. Hæc tamen inter plures patresfamilias obtineant; jam enim supra (§. 16.) innuimus, et infra latius aperiemus, subjectionem paternæ societatis statui ab ipsa natura determinatam fuisse (1). At connata, et perfecta jura, quot in homine hucusque deteximus, per se legitimam facultatem includunt vim ad ea contra invasores asserenda explicandi (§. 27.): et alias frustra a natura hominibus data fuissent, quum contra ad sui conservationem, et perfectionem promovendam concessa sint. Quibus igitur idem perfectum jus natura tributum, eis quoque jus inde injustam quamlibet vim propulsandi ascribendum est: quod *jus securitatis* dicimus. Vis autem, aut imminet, aut infertur, aut illata est. Quidquid horum accidat, læsa securitas est. Imminenti vi cau-

(1) Quod miror non monuisse Zallinger dum connata hujusmodi jura luculenter exponeret *I. N. et G.* §. *XV. a,b*, Confer cl. V. Card. Gerdil libellum *Discours Philosophiques sur l' Homme consideré rélativement à l' Etat de Nature, et à l'Etat de Societé Chap. II.*

tione, præsenti defensione, illatæ reparatione prospicitur. Atque hinc patet quomodo *defensionis*, *cautionis*, et *indemnitatis jura* in securitate contineantur.

§. 77. Cave igitur ne cujusquam *intellectum* erroribus, aut mendaciis imminuas: *voluntatem* blanditiis, assentationibus, vitiorumque irritamentis ad prava convertas: *vitam* ferro, veneno, necessariisque ad vivendum ablatis, destruas: *corpus* vulneribus, verberibusque, fame, sitique, mutiles, corrumpas, affictes, obscoenitatibus polluas, nec ejus, qui flagitium patitur, consensu; jus enim quod ei circa sui perfectionem a natura imperatam est, ex obligatione est (§.70.); ideoque remitti non potest (§. 29.): *honorem*, *existimationem* contumelia, calumniis comminuas, perdas. Cave tandem ne alterius *æqualitati*, *independentiæ*, *libertatique* injusta vi officias: vel alienam *securitatem* defensione, cautione, et indemnitate impeditis pessumdes.

§. 78. Hæc quisque ab altero quatenus homo perfecto jure reposcit. Alia multa ea-

dem vi prædita jura cujusdam facti hypothesim consequuntur; de quibus dicemus postquam alteram, et eximiam, sociabilitatis partem in humanitate, et beneficentia positam: e cujus contemptu maxime hypothetica jura invecta: et obligationum conflictum, qui ex necessitate videtur, sequenti capite explicaverimus.

§. 79. Sane humanæ vitæ, communisque naturæ indigentia remotione injuriarum contenta non est, sed mutuam benevolentiam, et universalis perfectionis studium jure suo flagitat (§. 72.). Præclare Seneca ratione duce id novit, suoque expressit modo (1) - *Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem, et in eadem, gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, et sociabiles fecit: illa æquum justumque composuit; ex illius constitutione miserius est nocere, quam lædi, et illius imperio paratæ ad juvandum manus.... Habeamus in*

---

(1) *Ep.* 95.

commune quod nati simus. Societas nostra lapidum fornicationi simillima est, quæ casura, nisi invicem obstarent, hoc ipso sustinetur. - Unde patet humani generis perfectionem, et felicitatem unicuique curandam esse jubente natura. Affirmativa tamen naturæ obligatio, quæ tempus, vires, opportunitatem agentis desiderat (§. 28.), et *independentiæ* jus, quo unicuique de actionibus suis judicium relictum est (§. 76.), *humanitatis*, et *beneficentiæ* officia debentis fidei naturæ statu permittunt; et ideo *imperfecta* vocantur (§. 45.); interna tamen obligatio eadem semper manet (§. 27.), cui satisfacere quo liberius eo honestius habendum.

§. 80. Nam quæ aliis utilia sunt tibi non molesta: quæ *humanitatis* officia vocantur: nemini deneganda sunt, modo præstans aliqua erga nos, aliosve officii ratio tantisper necessitatis jure ea intermittenda non suadeat. Ope vero tua, si possis, alios, qui indigeant, levare: quo *beneficentiæ* officia pertinent: ex eadem communi benevo-

lentia debes : nonnulla tamen in beneficentia collocanda cautio adhibenda est.

§. 81. *Videndum est* enim *primum*, ut verbis Tullii utar (1), *ne obsit benignitas, et iis ipsis, quibus benigne videbitur fieri, et ceteris* - Male itaque beneficia voces, quibus alios ad vitia impellas : rectius damna alteri illata dixeris, quando perfectioni alienæ, cui studere debes (§. 79.), adversa : eadem in alios, quibus opem ferre jubebat natura, injusta. Aliis vero largiri quod alteri perfecta obligatione debeas, mera injuria est. Ita recte se habet quod idem Tullius monet - *ne major sit benignitas, quam facultates* ; - non enim vetitum, immo, si virtutis bonum respiciat, honestissimum est caritate, et beneficentia *suum* liberalius imminuere (§. 68.).

§. 82 Prudens dein beneficentiæ delectus habendus quum pluribus, qui eodem tempore ope nostra indigeant, consulere non possi-

---

(1) *De Officiis lib. I. Cap.* 14.

mus. Ex universali benevolentia præcipua regula statuenda-*Commune bonum anteferendum privato*.- Generatim ii præferendi qui arctiori nexu nobis devinciantur; superveniens enim status primigenium officium novis rationibus confirmat. Commune vinculum a natura, qua homines universi, inimici etiam, veniunt; quibus benefacere debemus in iis, quæ in nostram perniciem non vertantur, ultione quacumque seposita, quæ cum primigenia sociabilitate componi non potest: propius ex amicitia, et beneficiis: interius a patria: arctius a cognatione: a conjugali, paternaque societate arctissimum est. Ceterum, et necessitatis ratio habenda est. Quare ignoto potius extrema necessitate laboranti, quam benefactori leviori incommodo detento auxilium feras. Sed hæc melius, quum de necessitatis jure dixerimus, pateant.

§. 83. Quæ ad beneficii perfectionem spectent ex Ethica petenda. Illud in nostra disciplina compertum, beneficia ex humana communitate orta gratum animum accipientis secumferre debere. Hinc gratitudo

exurgit, sita in constanti animi affectione benefactoris utilitatem, ubi tempus incidat, promovendi. Officium referendæ gratiæ imperfectum sane; tempus enim requirit: quod adsit, necne, qui debet judicat: ad hoc, si necessarium, jam periit; interna tamen obligatione benefactori suo gratum se exhibendi nescio an ulla et homine dignior, et hominum liberalitati in commune provocandæ aptior esse possit. - *Omnes* enim, præclare Tullius (1), *immemorem beneficii oderunt; eamque injuriam in deterrenda liberalitate sibi etiam fieri: eumque qui faciat communem hostem tenuiorum putent.*

---

(1) De Officiis lib. II. Cap. 12.

CAPUT VII.

De Jure, et Favore Necessitatis.

§. 84. Non raro officia officiis collidi videntur urgente *Necessitate*, cujus vim immane quid homines extollunt. Æterna tamen, immutabilis naturæ lex (§. 40.), modo recte investigetur, et extrema calamitate officium determinet necesse est. Id jam curandum.

Necessitatem optime definitam accepimus - *hominis statum, quo is, aut vitæ præsidio destitutus, aut præsenti periculo implicatus intelligitur.* - Si vita, vel res ad vitam accedens in discrimen adducatur, *extrema*: si vita in tuto sit, at molestia non ferenda impendeat: uti dura captivitas, infamis carcer, et hujus generis alia, *gravis*: si tandem incommodum quoddam, ferendum tamen, immineat, *communis* necessitas dicitur.

§. 85. Necessitate presso ex humanitate accurrendum esse res est explorata. Ca-

ritatem quod spectat, auxilia quoque afferenda sunt, et hoc jubet natura, modo possis (§. 79.). Sunt bona *necessaria naturæ*: superflua naturæ, sed *necessaria statui externo tuendo*: tandem *et naturæ*, *et statui superflua*. Inde probæ caritatis regulæ eruantur. 1. De necessariis naturæ nemini, nisi ei, cujus salus publice intersit (§. 82.), impertire quis tenetur. 2. De statui externo necessariis extrema alterius necessitas levanda; vita enim statu potior est. 3. De naturæ, et statui externo superfluis egenti non subvenire nefas esto.

§. 86. At non solum aliorum commiseratio concessa, sed jus quoddam necessitate laboranti indultum est: unde illud Senecæ. (1) – *Magnum infelicitatis patrocinium necessitas est.*– Sæpe enim necessitate adveniente lex cessat; novaque jura in se, aliosque oriuntur. Leges quod spectat, generatim habendum, necessitatis jus strictissimæ in-

---

(1) Controv. 27. IV.

terpretationis esse, nec latius patere, quam necessitatem; legitimum enim Superioris imperium, externe saltem, imminuit. Lex omnis *divina*, vel *humana*: illa *naturalis* vel *positiva*: utraque, quod rem nostram attinet, *affirmans*, vel *negans* est (§§. 22. 23.). Humana lex, qua humana est, gravi necessitate cessat ex præsumpta legislatoris voluntate, qui tristissimum casum a lege sua in cummune bonum lata (§. 20.) excepisse censetur. - *Constat profecto ad salutem civium, civitatumque incolumitatem, vitamque omnium quietam, et beatam conditas esse leges* (1).

§. 87. Positiva divina lex, nisi naturalem, vel conceptu suo, vel temporum adjunctis contineat, summi Legislatoris misericordiam in extrema necessitate suadet; uti divinus ipse Servator amantissime edocuit, Pharisæorum criminationes de sabbato a discipulis violato, excussione frumenti a

(1) Tullius *de Legg. II.*

spicis, quo famem pellerent, refellens *Matthæi Cap. XII. v.* 7. ubi post allata exempla ex V. T. petita, divinam sententiam ita concludit - *Si autem sciretis quid est, misericordiam volo, et non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes.* - Econtra, si positivæ etiam legis omissio in Dei dedecus a nobis morte interminata exigatur, Machabæorum (1) justitia, et constantia sequenda (§. 55.).

§. 88. At in lege naturali duo tantum animadvertenda sunt: primum, an legis præceptum urgeat: alterum, an legis objectum permaneat. Sane affirmans lex necessitate adveniente sine piaculo omitti poterit, dempta agendi facultate, quam ipsa obligatio requirit (§. 24.); nisi ex adjunctis affirmans lex negantis vim nanciscatur: quo referas factum Danielis *Dan. VI.* 10. Negantis autem legis vis eadem semper est; non raro tamen in objecto, seu materia legis mutatio occur-

(1) Mach. II. 7.

rit, quæ prohibitionem plane tollat. Actio itaque omni ex parte expendenda, ut pateat, an ea sit, quæ poni non possit, quin humanæ naturæ constitutio, et divina perfectio facto negetur: vel contra certis conditionibus, quæ tolli aliquando possint, vetita sit. Si primum, cuicumque officiorum generi actio respondeat, injusta semper habebitur: si alterum, intra rationalis naturæ fines licita in extrema necessitate evadet.

§. 89. Quare *perjurium*, *onania*, *mendacium* nullo non tempore vetita erunt; perpetuo enim cum naturæ ordine repugnabunt. De primo optime Juvenalis cœcinit (1)

. . . *Ambiguæ si quando citabere testis*
Incertæque rei, Phalaris licet imperet, ut sis
Falsus, et admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causas.

---

(1) *Sat. VIII. v.* 78.

Altera fædior est, quam dici possit: ex divina ultione flagitii pravitatem disces *Geneseos* libro (1). Sed postremum ad innocentis mortem vitandam, aliaque damna amolienda licitum putarunt nonnulli, quos præcessit Horatius, quum de Hypermnestra eleganter cœcinit (2)

Una de multis face nuptiali
Digna, perjurum fuit in parentem
Splendide mendax, et in omne virgo
Nobilis ævum.

Verum si loquelæ, sermonisque omnis a Deo, unde manavit, finis statutus est interiorum sensuum communicatio: si humanæ societatis felicitas, et securitas veritate, ac fide universe continentur: si nihil divinae perfectioni, unde omne morale verum efficitur, mendacio repugnantius esse potest, sermo,

---

(1) *Cap. XXXVII.* 9. 10
(2) *Carm. III. Od. XI. v.* 35.

quo recta alterius deceptionem intendas, nunquam in licitis contra naturæ fines habebitur: utut ex causa veritas celari possit, et debeat (1).

§. 90. Econtra res alienas contrectare, vitam alteri adimere, et alia hujusmodi, vetita, qua alieni juris læsiones, sunt. Si igitur supremi rerum omnium domini Dei voluntas, aut consensus accedat, jam hæc amittent pravitatem suam, injuriæ ratione, qua prohibebantur, sublata. In his necessitatis favor, et jus intra probam humanæ naturæ constitutionem elucent. Hinc, quando unicuique vitæ suæ conservatio est imperata, licita, et si salutis certitudo sit, præcepta corrupti membri abscissio, ne totum corpus intereat. At nulla necessitatis vi in vitam tuam juste insurgas; quorsum enim te vertas divinam voluntatem de existentia tua deprehendas (§. 63.): morte vero propria auctoritate sumpta quid magis naturæ

(1) Confer Zallingerum *I. I. N. et G.* §§. LXXXIX. XCI.

finibus repugnet non video. Quanto rectius divinæ menti humani generis constitutio, uti debet (§. 39.), respondeat, si ex calamitatibus ipsis eximia animi bona, virtutes nempe pulcherrimæ (§. 64.), emergant?

§. 91. Alios quod attinet, unicuique servandam esse judicii sui libertatem, possit, necnè, aliis, qui indigeant, opem ferre (§. 79.), compertum est. Verum, si gravius alterius connatum jus ad vitam cum libertate hac congrediatur, in extrema necessitate libertas hæc, qua necessitas pateat, naturæ cedat oportet. Quid enim optimi Conditoris consilio, qui copiam rerum in humanæ vitæ usus profudit, adversius, quam homines ad socialem cultum natos, occupatione facta, primarium conditarum rerum finem pervertere? Interest humanæ felicitatis rerum dominia esse sancta, ut suo loco videbimus: at universæ naturæ interest, ne homo aliena duritie ad mortem deseratur. Utrique rei optime per naturam consultum est. A domino rem, qua ad vitam eges, et qua ipse pariter non indigeat, petes: ope-

ram tuam, si possis, eidem offeres: necessitate sublata, rem, si habeas, restitues, si consumpseris, modo possis, compensabis. Ab inhumano et universæ societatis hoste rem, qua vivas, licite tandem abduces.

§. 92. Alteri vero, qui periculi nostri causa efficiens non est, vitam adimere injusta res est: nec probæ naturæ constitutioni consentit innocentis morte vitam suam servare; nulla enim ratio apparet, cur homo extremam calamitatem, qua ipse premitur, in in alios, qui nihil meruerint, reiicere valeat: sat est si unicuique sua necessitas incumbat. Sed universalis benevolentiæ, et sociabilitatis regulæ apprime convenit (§. 39.), incommodum quoddam subire, ut alterius vita servetur. Stricto ense inimicus me morti daturus insequitur: alius angustissima via, qua mihi omnino transeundum est, stans fugam, et salutem meam impedit: liceatnè extrema hujusmodi necessitate obstantem proculcare? Illud antea quærendum, possitnè hic itineri interjectus loco, quo transeam, cedere, vel non. Si possit, et renuat, jam ipse necis

meæ moralis causa evadet, in quem jus quod Deus contra injustum vitæ aggressorem dedit, uti mox videbimus, rite experiar. Sin autem necessaria quacumque de causa non possit se hinc movere, tunc si læsio morte minor eidem inferenda sit, licebit progredi: si mors omnino impendeat, connatum alterius jus ad vitam servandum est. Hisce regulis facile, quæ hac in re a scriptoribus comminisci solent quæstiones summo jure definies; non enim inficiandum mentis trepidationem ex instanti morte concitatam difficillimo hoc tempore officium sæpe turbare: et huc Terentianum illud spectat

Facile omnes cum valemus recta consilia ægrotis damus.
Tu, si hic sis, aliter sentias. (1)

Quamobrem in humano foro non hic omnia ad vivum resecantur. *Aliter enim leges, ali-*

---

(1) *Andr. Act. II. sc. I. v. 10.*

ter Philosophi tollunt astutias: leges quatenus tenere manu possunt: philosophi quatenus intelligentia, et ratione. - Optime Tullius (1).

§. 93. De favore necessitatis hactenus: jam de jure videndum. Non alienum invadit, sed suum tuetur qui injustam vim a vita, corpore, rebusque suis naturali quodam instinctu depellit. Connatum hominis jus securitas (§. 75.) nullum jam erit, si defensione, cautione, et reparatione destituatur: perversa humanæ vitæ tranquillitas, si improbis, et scelestis viris quidlibet impune audendi potestas sit. Vis igitur in injustos vitæ, statusque nostri aggressores generatim concessa: quæ revera non nostra, sed ipsorum est, qui injusta invasione sua necessitatem illam afferunt, cui universali defensionis jure naturæ Artifex prospexit, quodque homo, nisi præstantioris boni intuitu, omit-

---

(1) *De Off. lib. III.*

tere non tenetur. Una necessitas, veluti juris materia, et mensura, probe expendenda est.

§. 94. Si vita in discrimen adducatur, præter injustam, hoc est, sine jure peractam aggressionem, quo mortem alteri licite inferas, *moderamen* adsit *inculpatæ tutelæ*, quod dicunt: quodque Imperator concinne explicavit - *Si periculum aliter effugere non potuit* - (qui ab alio aggressus est) (1). Periculum itaque præsens sit, vel imminens, non remotum, multo minus depulsum; tunc enim non defensio, sed ultio est, naturali jure plane vetita (§. 82.). Ceterum sat est ut aggressor in procinctu sit, et conatum ad me opprimendum exerat, ut eum juste occupem; non enim ita cunctandum, ut periculi removendi copia amplius non sit. Defensio autem conservandæ vitæ necessitatem non excedat. Hinc si aliena ope implorata, minis, aut non lethali vulnere, vel tuto ef-

(1) §. 2 *Inst. De Leg. Aquilia.*

fugio injustam vim declinare possis, ab alterius temperes cæde, quæ postrema, et tristissima salutis tuæ expediendæ ratio esse debet, nisi mentis trepidatione, et decertationis acerbitate justæ defensionis fines, quod facillimum, turbentur.

§. 95. Nec minor necessitas homini incumbet, cui gravis corporis mutilatio injuste moliatur, quæ sæpe mortis nuncia, semper molestissima est: et hanc igitur cruenta defensione repellere possumus: maxime quum ictuum exitus lateant. Ad *servitutem* removendam, *pudicitiam* servandam, an tantum in invasores liceat, ambigitur. Sed mihi nulla ratio videtur, cur quis ab utriusque defensione, qua uti potest, cessare debeat. Connatum jus, hoc est, liberum statum suum, alter: eximium bonum, cujus jactura irreparabilis, alter tuetur: uterque sævitiam perditi hominis, qui præda sua, uti lubeat, postea utatur, propulsat. Si hac tutela offensus injurius vir majora paret, jam vitæ aggressor evadat, quem occidere fas est.

§. 96. Res nostras quod spectat, nunquam eas furis morte servandas putem, nisi una cum rebus et vita impetatur. Privata enim uniuscujusque res, etsi amplissima, alterius vitæ pretio comparari nequit. At si res ejusmodi sint, ut his sublatis physica necessitate nobis pereundum sit: si gravis latronem urgeat suspicio ex tempore, ex armorum genere, aliisque non minus ad furandum, quam ad interficiendum venisse: tunc juste in furem cruenta defensione pro vita utemur. Idem judicium esto, si legitima defensione nostra exasperatus latro ferrum arripiat, et nobis necem intentet. Nec quisquam nobis homicidium hoc jure ascribat, quod ex nostra defensione ortum sit. Male enim statueretur imputatio actionis, quam omittere non tenebamur: et alias dicendum protervia, et nequitia sua quemquam natura juvari: quod absurdum est.

§. 97. Honoris, bonique nominis præstantiam vidimus supra (§. 69.); eamque commendat Sapiens his verbis - *Melius est bo-*

num nomen, *quam divitiæ multæ* - (1) : cui consonat alterum Ecclesiastici (2) - *Curam habe de bono nomine : hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi, et magni.* - Verum hæc eo potius spectant, ut quis a flagitiis retrahatur quæ existimationem suam vere comminuunt, perdunt, quam ad vim in contumeliosos, et obtrectantes homines explicandam. Nam honor propria virtute partus perditi hominis contumelia non minuitur, sed patientiæ virtute augetur: utut contumelia ipsa aliquando ratione status pœna dignissima sit; quod tamen ad primigeniam sociabilitatem, de qua hic agimus, non pertinet.

§. 98. Calumnias vero, quibus nomen tuum improbi impetierint, integritate vitæ optime dispelles; neque a *reali* hujusmodi, quam vocant, defensione recedes, si ea aggressam existimationem tueri possis. Quod si hinc minus famæ tuæ consultum sit, ne

---

(1) Prov. *XII.* 1.
(2) *XLI.* 15.

magnum humanæ societatis præsidium abiicias: *Conscientia* enim (recte Augustinus penes Gratianum (1)) *necessaria est tibi*; *fama proximo tuo. Qui fidens conscientiæ negligit famam, crudelis est*: - verbali defensione uti poteris; qua nempe argumentis, tum e re ipsa, tum e persona calumniatoris: cujus vitia, quæ ad ejus fidem elevandam sufficiant, detegere vetitum non est: tum denique e te ipso, cujus innocentia quum per integram vitam explorata fuerit, recte eum, qui nunc primum criminationibus lacessit, adiges ut quæ male de te effuderit probet; qui si obmutuerit, hoc ipso opprobria recantasse censendus est.

§. 99. Hæc una existimationis tuendæ ratio, quam naturæ jus probat; non enim aliter facti veritatem ostendere datum est. Hinc *Monomachiæ*, seu Duelli, pravitas comperta, per quam homo nulla prorsus necessitate vitam, quam a Deo habet sibi aliisque servandam, singulari certamine in discrimen adducit.

---

(1) *C. XII. Q. I. Can. X.*

Non enim factum infectum reddi: neque alterutrius sanguine innocentia probari potest; nisi Deum in tui gratiam ad prodigia patranda impie provoces, quasi de ejus justitia, et bonitate periculum facturus: quod divinæ celsitati, et humanæ subiectioni plane repugnat (§. 53.). Quæ cum perversa hominum judicia turbare haud valeant, e penitiore sapientia Immortalis Memoriæ Pontifex Benedictus XIV in constitutione, quæ incipit *Detestabilem*, inter alias propositionem, quæ ad rem nostram pertinet, proscripsit - *Licitum est in statu naturali hominum acceptare, et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando earum jactura alio remedio propulsari nequeat*: - et alteram, quæ inde profluxerat - *Asserta licentia pro statu naturali applicari potest statui civitatis male ordinatæ in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia Magistratus justitia aperte denegatur*. -

§. 100. Injuria alteri illata, defensionis jus expirat, et *reparandæ*, *cavendæque* in posterum *noxæ* jura exoriuntur; utrumque

enim securitas postulat, quæ tamdiu læsa erit quamdiu damnum permaneat, vel dignus metus impendeat (§. 76.). Ex eodem itaque necessitatis jure (§. 93.) pro rei gravitate tanta in lædentem uti vi licebit, quanta ad illatum damnum reparandum, et ad futurum præcavendum sufficiat.

§. 101. Reparationis finis indemnitas est: quæ ex ipso damno optime metietur; quod si re ipsa tolli possit, omnino debet; sin hoc fieri nequeat, æstimatione sarciendum. *Cautionem* quod spectat, in naturali æqualitate distinguendum puto, an is qui damnum dedit cito pœnitentia ductus sponte obligationi satisfecerit, fidemque suam de non lædendo in posterum adstrinxerit: vel aliena vi coactus, invitusque officium suum impleverit. In primum illud Senecæ in Agamemnone quadret

Quem poenitet peccasse pene est innocens.

Nec ejus fides suspecta esse debet, qui verbis non minus, quam factis, mentem suam

patefecerit. At ex altero futura noxa metuenda: quando obfirmatum lædendi animum nunquam deposuit. Hic igitur naturæ jure tantum coerceri poterit, quantum necesse sit ne per flagitia sua nostram securitatem deinceps aggredi valeat.

§. 102. Fuere qui jus hoc in naturæ statu *pœnam* dicerent: at si accurate loqui velit, dempto imperio inter æquales (§. 76.), necessitatis jus unum ex connata securitate ortum supererit; quo, primigenia sociabilitate tantisper intermissa, coguntur homines exerta vi perfecta jura sua ab aliorum injuriis in tuto collocare. Acerbus hic hominum injurias inferentium, populsantiumque status *Bellum* dicitur; de quo in *Jure Gentium* maxime, at ex eisdem principiis, juvante Deo, dicemus.



CAPUT VIII.

De Dominio.

§. 103. Hominis corpus externis rebus quibus se nutriat, tueatur, et servet indiget (§. 4.). Necessitati hujusmodi largissime pro bonitate sua consuluit Deus, qui copiam rerum vitæ ducendæ non modo, sed et honestæ jucunditati comparandæ aptissimam hominibus profudit. Hinc jus utendi rebus creatis juxta naturæ fines unicuique concessum est, et primæva rerum communio concipi potuit: qua ideo res communes, quia in medium positæ, et humanæ vitæ usibus paratæ, donec quisque, occupatione facta, præter rei usum, quem natura omnibus dederat, jus etiam rem sibi præ aliis perpetuo habendi ascriberet.

§. 104. Primæva autem hujusmodi communione, quando unicuique idem *utendi* jus natura tributum (§. 103.), respondens vicis-

sim in aliis obligatio legitimam alterius potestatem non impediendi esse debuit (§. 25.); secus enim jus jure elideretur, et vi, rixisque universa concideret constitutio naturæ. Sed utendi jus vitæ necessitati, commoditatique curandæ datum inane plane fuisset, nisi rem, qua indigemus, apprehendere, immutare, nostrisque usibus aptare, et in futuram necessitatem asservare fas esset. Hæc omnia igitur in promiscuo rerum usu sibi vindicabit quisquis rem, qua uti constituit, primus ceperit; si ea ejusmodi sit ut pluribus eodem tempore inservire nequeat. Nam si rei usus pluribus communis esse possit, quin una utatur nemo impediendus est.

§. 105. Tempus quo quis rem, quam in futuros usus sibi seposuit, detinere possit, natura constitutum non est, sed ex utentis indigentia, de qua ipse qui utitur naturali independentia (§. 76.) judicium ferre potest, pendet. Finito tamen usu res, si maneat, communioni restituenda. Quod si quis rem, quam semel apprehenderit, sibi pleno jure addicat, reliquosque ab ejus usu

perpetuo excludat, jam primæva communione sublata, novum vitæ institutum exoritur, *Dominium*, hoc est, *Jus alios a rei usu perpetuo excludendi*: cujus origo a natura ipsa petenda videtur.

§. 106. Nam si et primæva communione manente res nobis utiles jure asservamus, ne his, cum opus fuerit, careamus (§. 104.), cur res ipsas omnibus paratas perpetuo nobis addicere non liceat, ut vitæ necessitati, commoditatique consulamus? Atqui hominibus adauctis, et mitiori vitæ cultu inter homines invecto, jam penuria rerum, quæ ad victum, vestes, habitationemque suppeterent, metuenda fuit, nisi quisque assidua cultura et improbo labore terram exerceret. Cujus industriæ fructus si communibus usibus adhuc pateret, illud futurum, ut qui maximos labores ad res comparandas tulissent eadem, ni majori, egestate, qua socordes, et ignavi homines, conflictarentur. Hinc jugis inter socios turbarum, et litium materies extitura, quæ industriam primum, dein vitam destrueret. Eadem natura

igitur, hoc est, ejus artifex Deus, qui hominibus universis jus creatis rebus utendi, quo bene viverent, dedit, jus quoque proprias res habendi, quibus naturæ fines implerentur, indulsit, non aliorum hominum conventio expressa, seu tacita, uti perperam Pufendorfius commentus est (1); quasi alii consentire debuissent: non enim aliorum jus læsum, cum quis res ideo communes, quia in medium positas, et humanæ vitæ usibus paratas (§. 103.) connato utendi jure suæ potestati subiecit.

§. 107. Dominii essentia, uti ex nostra definitione (§. 105.) compertum, in perpetuo alios excludendi jure posita; res tamen quæ in dominio est, modo ad plenissimum usum, qui substantia, usu, omnique fructu rei continetur: modo ad imminutum usum tantum nostra est. Hinc aliud *perfectum* et *plenum*, aliud *imperfectum* et *minus plenum* dominium vocant: cujus spe-

---

(1) *I. N. et G. L. IV. C. IV*, §. *IV*.

cies, et jura alibi prosequemur. Rursus, dominium uni, vel pluribus in eadem re competit: *singulare* illud, hoc *commune* appellant, seu *condominium*, quod etiam e condominorum societate, quæ inde exoritur, *communio positiva* dicitur, ut a *primæva*, quæ *negativa* est, distinguatur; hac enim ideo rei communis usus, quia proprietas ignota, illa contra non alias, quam ratione dominii, utendi jus est. Sed jam de modis, quibus rerum dominium acquiratur, dicendum, qui vel *originarii*, vel *derivativi* dicuntur: prout his rem in primæva communione, vel in aliorum jure positam acquirimus: utrosque *liberos*, vel *necessarios* non male appellaveris: prout hominis facto, vel rei nostræ vi, et consecutione quadam dominium quæratur.

§. 108. Præcipuus inter originarios dominii acquirendi modos est *Occupatio*, per quam rem nullius animo nobis ut propriam habendi apprehendimus. Hinc primum dominium jure invectum est, concessione divini Conditoris (§. 106.) hominis facto consummata. Acquisitionis hujusmodi *obiectum*, ut

per se patet, res communes, quarum penuria, ni occuparentur, metuenda: *forma*, apprehensio corpore non modo, sed et animo apprehensam rem sibi addicendi peracta. Ex his occupationis leges ita statuito.

§. 109. Mobiles igitur, immobilesque res omnes, sensu præditæ vel carentes, quot humanæ vitæ usibus adhuc pateant, occupationis materies habeantur, modo inexhausti usus non sint; cujusmodi sunt aer, aqua profluens, lumen et ardor solis: quæ, ut custodia coercere nequeas, ita cur tua facias, nulla vitæ necessitas, aut commoditas suadet; unde omne dominii invehendi jus pendet (§. 106.). At si inexhaustæ rei adjuncta sint emolumenta finiti usus, aut aliud commodum promiscuo usu plane defecturum, eam e contraria ratione, qua usus pateat, et finibus munire possis, rite occupabis.

§. 110. Præterea et res quæ dominium habuere occupanti cedent, si ita a domino abjectæ fuerint, ut ad primævam communionem redirent: quod tamen in homine plurium egente, et generatim habendi cupido facile

præsumendum non est. Nuda enim possessionis intermissio dominii causam non mutat; quod inane fere esset, si non animo, sed constanti modo corporis apprehensione servari posset. Hinc nulla occupatio eorum, quæ in naufragio projecta, e rheda delapsa, vel aliter amissa sunt: in quibus omnibus derelinquendi animus defuit. Sed res, quas in dominio semel fuisse ex earum modificationibus compertum est, si earum dominus omnino lateat: puta, thesaurus, ex definitione Jurisconsulti - *Vetus depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat* - (1): occupationis jure inventori merito cedent.

§. 111. Hæc tamen omnia primævæ communioni non subtrahes, nisi *externum signum* ponas, quo alii omnes certo sciant eadem perpetuo alterius usui destinata fuisse. Factum hinc necessarium, quo hæc voluntas innotescat; et hoc maxime securitas humanæ

---

(1) *L.* 31. *ff. de A. R. D.*

socialitatis requirit, quæ nulla jam erit, si verbis quisque omnia quæ velit sua facere possit. *Immobiles* res si sæpibus præcingas, finibus describas, vel cultura exerceas, rite occupasse videaris, etsi nullam terræ glebam manibus attigeris. *Mobiles* res autem apprehensione manu, vel instrumento tuo peracta occupabis, modo habendi animus adfuerit. Si rem jacentem capias, et statim proiicias illuc unde sustuleris, res quidem apprehensa, non tamen occupata: at si eam custodiendam tecum feras, certum indicium erit te dominium rei quæsivisse. Econtra, si feram bestiam non cepisti, sed graviter vulnerasti, eamque insequeris certo capturus, tuum animal erit quod industria tua a naturæ statu novis modificationibus affecisti, ut proprium faceres, et hoc insecutionis facto aperte declaras.

§. 112. Originarius alter dominii acquirendi modus *Accessio* est, per quam emolumenta rei nostræ persequimur. Eo enim consilio dominium institutum est, ut quisquis rem aliquam occupasset ejus utilitates omnes

unus jure sentiret. Quidquid igitur ex animalibus nostris enatum, quidquid ex agris nostris natura modo, vel industria simul productum, fructus omnes ex re profecti: quo in censu et venæ metallorum, fossæ carbonariæ, lapidicinæ habendæ: naturali jure ad nos pertineant, etsi alieno semine, aut opera aliena extiterint. Hæc enim bene eo spectent, ut seminis, operæque domino pretium rei præstetur, quæ in nostram utilitatem versa sit, ne contra naturæ æquitatem locupletemur cum alterius jactura, nunquam autem efficiant, ut fructu, qui ex re nostra prodiit, et cum qua primum natura, ceu pars, devinctus fuit, careamus; maxime cum tranquillitas humani generis incertissimam seminis proprietatem ad fructuum dominium vindicandum non ferat.

§. 113. Sed et quæ extrinsecus naturæ velut beneficio rebus nostris accedunt, si nullius sint, nostra fient, et occupatione remota, quando rei nostræ adjecta ni eodem jure ac res, cui adhæserunt, teneantur, instituti dominii finem impediant. Hinc *alluvionis* jus

in agris arcifiniis repetendum est. Incrementum enim illud ex terræ particulis, quarum dominus ignoratur, aqua profluente agris nostris adjectum recte addicetur fundo ejus, qui ad flumen usque possessionem suam habere instituit. Huic et relicta ripa merito cedet.

§. 114. Ex eadem ratione *insula* in flumine, aut mari ex ignotis particulis excitata fluvii, marisve conditionem sequetur. Et id romani quoque Jurisconsulti tenuere in insulis, quæ in flumine extitissent, modo hæ alveo non adærerent (1): alias enim insulas hujusmodi alvei accessiones duxerunt, et vicinis dominis, quorum alveum proprium putabant, adjudicarunt (2): licet ab his Labeo dissensisse videatur (3). Sane naturali simplicitate *alveus* ceu fluminis pars habendus. Si igitur aliqua ratione exsiccatus maneat, fluvii jus retinebit.

---

(1) *Leg. penult. ff. de A. R. D.*
(2) §. 22 *Inst. de R. D. E. A. I. D.* ibique *Vinnius num.*6.
(3) *L.* 65. *ff. de A. R. D.*

§. 115. At si fluvius ex agro nostro alveum sibi fecerit, ejus dominium nobis invitis non excidet, nisi derelictionis animum indubie ostendamus. Hinc si flumen recesserit, recte agrum nostrum pro usu quem hic præstare possit, veluti a diuturna inundatione liberatum vindicabimus. Sin autem perpetua inundatio maneat, majori vi potius, quam jure dominium rei amittemus, quod animo retineri posse jam diximus (§. 110.).

§. 116. Præterea et rei nostræ modificationes, si opera nostra extiterint, nobis cedent, industriæ potius, quam realis accessionis jure. In his enim res nostra materiæ vice fungitur, quam humana solertia ad suos usus informat. At si ex aliena materia novam formam quis effecerit: quæ actio *specificatio* dicitur: materiænè domino, an specificanti nova species addicenda foret, mire inter se Proculejani, Sabinianique Jurisconsulti disputarunt: ut videre est penes Imperatorem §. 25. *Inst. lib. II. tit.* 1: quæstio tamen natura ita expedienda videtur.

§. 117. Principio necessaria quædam pro rata operis, et materiæ communio existet; quum domini duo in eamdem rem concurrant. Si communio displiceat, vel stare non possit, ei species addicenda videtur, cui amissa damnum allatura; hoc enim avertere, quantum possis, sociabilitas jubet (§. 73.). Hinc, quando materia plerumque res fungibilis est, ejus domino satis consultum, si specificator ei rem ejusdem generis, quantitatis, ac probitatis restituat, et speciem quam fecit servet (1). Contra, si materia rarissima et nova etiam forma domino utilis, sat erit specificanti operis sumptus referre. Sin autem par utrinque damnum immineat: vel hoc alterutri imputari potest, vel non. Si primum, jus erit læso suum vindicare lucro ex aliena re, vel opera exorto pensa-

---

(1) Damni, quod ob ipsum interceptum rei suæ usum dominus forte passus sit, ratio hic non habetur, ubi de dominii acquisitione res est, non de *injuriae reparatione*; de qua supra (§§. 100, 101.) generatim actum est; quamque in proprietatis jure distinctius sequenti capite explicabimus.

to : si alterum, condominium pro rata manebit, quo ex condicto domini utantur. Nemini quippe invito jus suum eripiendum est.

§. 118. Postremo, si aliena res nostræ adjungatur: quod *adjunctionem* vocant: illud justissimum, si commode diduci res possint, adjunctas separare, et suum cuique reddere. Si vero res simul junctæ sine gravi damno dividi nequeant, quæstio ex iisdem principiis, quæ in specificatione nunc posuimus, rectius expedietur, quam per illam regulam, quam romani Jurisconsulti in hujusmodi junctionibus, saltem quamdiu res cohæreant, generatim sanxere - *accessorium principali cedere debere.* - Non enim *principalis*, et *accessorii* idea certis limitibus est circumscripta natura : nec dominium parvissimæ rei quid minus dominio magnæ est, cum eadem facultas moralis, idem jus (§. 107.) ubique permaneat. Quæ et ad *confusionem*, materiarum nempe communicationem spectant, ut per se patet. Non tamen injustitiæ civiles leges incusandæ quæ, ut negotia facilius transigantur, et controversia-

rum seges præcidatur, recte civium dominia e re publica moderantur. Hoc autem sine injuria in civitate fieri posse, ex iis, quæ de majestatico jure eminentis potestatis in bona civium alias dicemus, cuique innotescet.

§. 119. Derivativi dominii acquirendi modi rem in alterius jure positam respiciunt (§. 107.). Jus hoc *proprietatis* est, vel *condominii*, seu positivæ communionis (Eod. §. 107.). Communem rem *divisione*: alienam *domini translatione* expressa, vel præsumpta propriam facimus. Pauca de singulis dicenda.

§. 120. Profecto, necessaria illa societas, quæ ex condominio est, sociis, seposita conventione, de qua hic non loquimur, jus re sua utendi adimere non potest; quisque enim pro parte sua, indivisa licet, et alieno juri permixta, verus dominus manet; cui si communio minus arrideat, suum assignare justum est. Attributio hæc in re dividua perfacilis: a socii jure determinata. At si res commodæ divisionis impatiens sit,

vel uni res addicenda, alteri æstimatione suæ partis persoluta: vel vendenda, pretio inter socios pro rata distributo: nisi inter eos de alterno usu rei, aliave ratione negocii expediendi convenerit.

§. 121. Libera domini voluntate dominium transferri posse res explorata; quando alienatio plenissimo usu rei (§. 107.) continetur. Si quis igitur voluntatem suam aperte ostendat dominium rei, quo ipse gaudet, in alium statim transferendi, et alter consentiat, translatione hujusmodi vere accipienti quæsitum erit dominium, quin rei traditio necessaria videatur. Jus enim, seu moralis facultas, qualis dominium est, animo, non corporea actione æstimatur; atque ideo solo consensu vere transfertur. Acceptatio hinc necessaria, ne res contra domini voluntatem ad primævam communionem revertat (§. 110.).

§. 122. Alienationi suæ legem, quam lubeat, dicere, cui liberum erat alios re sua prohibere, concessum est. Valida igitur translatio juris, quod accipiens, nisi post mor-

tem concedentis , vindicare nequeat. Sed , an his principiis naturali jure *Testamentum* consistat , valde disputatur. Negarunt nonnulli , si de testamento Romanorum sermo sit : quod recte definitur - *Suprema voluntas , qua in mortis eventum heres designatur , aliaque , prout visum fuerit , disponuntur , testatoris lubitu revocabilis* - : qua notione posita , nullam hinc in vita juris translationem , maxime cum heredis acceptatio deficiat , fieri : mortui vero voluntate fieri amplius non posse , mordicus contendunt. Aliis econtra a naturali jure concedente testandi jus repetere non absurdum videtur.

§. 123. Sane mortalitatis solatium passim receptum aliis , quos caros in vita habuimus in morte gratificari ; quibus tamen ante supremum diem irrevocabile jus concedere non undique tutum videtur ; quum inde vel aliorum derelictio , vel insidiæ , et ingratitudo metuendæ sint. Econtra libero de rebus suis postremo arbitrio cuique relicto , hominum studia , et auxilia , quibus plerumque

carere non possumus (§. 72.), ad extremum vitæ spiritum optime provocentur, et maneant. Testandi igitur facultate hujusmodi sublata, multum de rerum nostrarum utilitate, et commodo decedet: quod introducti dominii institutioni (§. 112.) adversum est.

§. 124. Neque illud adeo expeditum, mortui voluntate dominium transferri. Vivi enim voluntas est, quæ alium heredem facit, hoc est, revocabile jus in alium confert: quod revera a testatore translatum fuisse mortis eventus, quin prima voluntas mutata fuerit, demonstrat. Heredis vero acceptatio in re sibi utili, et quum institutio conscripta, præsumitur: quam postea aditionis factum perbelle confirmat. Ceterum nullo jure vetitum esse res in alios ea lege conferre, ut acceptatio post mortem nostram sequatur, facile dabunt quicumque in acceptationis causam (§. 121.), et in liberam alienandi facultatem, quæ dominis est (§. 122.), vel leviter inquirant.

§. 125. E præsumpta domini voluntate (§. 119.) *Successio ab intestato*, et

Præscriptio derivativi dominii acquirendi modi spectari solent. De prima melius in *Familiæ jure*, Deo dante, dicemus. Altera ex naturali, an ex civili jure repetenda sit, experiendum jam est.

§. 126. De Romanorum usucapione, seu præscriptione (quando utriusque differentias sustulit Justinianus Constitutione sua de *Usuc. transform.*) rem exploratam puto, eam a civili lege totam descendere, cum ejus fundamentum in temporis lapsu maxime consistat: et id bene tenuit Jurisconsultus, cum usucapionis naturam ita definivit in *Lege* 3. *ff. de Usuc. seu Usurp.* - *Usucapio est acquisitio, seu adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti* - Et sane bona possessoris fides justo titulo confirmata tanti non est, ut domini post impleta præscriptionis tempora rem suam vindicantis jus mutare possit. Unde intelligitur, nec derelictionis præsumptionem in domino recte constitui posse; quum romana præscriptio naturæ suæ convenienter in invitos etiam, et ignorantes

procedat(1). Quod igitur possessori dominium acquirit tempus est, cui vim moralis facultatis effectricem non esse facile fateantur quicumque didicerint: didicere autem omnes: cuncta quidem in tempore a tempore vero nihil produci.

§. 127. At si tempus longissimum et memoriam hominum excedens sit, valeatnè rei dominium possessori comparare? qua tempus nego; eadem enim ratio, quæ supra posita est, et hic manet. Ad hoc, damnum amissæ rei quo diuturnius eo gravius habendum. Qua vero tempus hoc domini derelictionem præsumit, licita erit rei detentio quousque dominus appareat, et rei suæ vindicatione præsumptionem hujusmodi veritati contrariam ostendat. Quisquis igitur rem alienam se detinere comperiat domino, qui innotuerit, ultro restituat: si vero dominus in obscuro sit, vindicanti non reddat, nisi liquidis probatio-

(1) Leg. Unica Cod. *de Usuc. transf.* Leg. Ult. Cod. *de Praescript. longi temp.*

nibus de ejus dominio constiterit. Hisce regulis et domini, et bonæ fidei possessoris juribus per naturam consultum est, quin ad præscriptionem confugiatur: cujus tamen justitia in civili societate in discrimen revocanda non est, cum eadem publico bono, ne dominia rerum in incerto essent, et ut civium diligentia, et industria excitarentur ab iis, quibus jus est (§. 118.), statuta deprehendatur.



CAPUT IX.

De Officiis, quæ ex Dominio ortum ducunt.

§. 128. Vitæ institutum dominium gravissima officia consequuntur, quorum alia ad dominos, alia ad ceteros homines spectant. Prima circa justum, hoc est, naturæ legi convenientem(§. 31.), rerum usum versantur, quæ ex *probæ philautiæ* (§§. 67. 68.), et *beneficentiæ* (§§. 80. 81.) regulis statuta, huc transferenda: alia ex natura, et fine proprietatis eruenda jam sunt.

§. 129. Dominii jus in perpetua aliorum exclusione a rei nostræ usu constitutum (§. 104.) inane plane esset, nisi respondentem in aliis obligationem afferret (§. 25.), qua quisque rem alterius dominio affectam arripere, vel alias detinere prohiberetur. Hinc primum *negativum* officium derivatur ab alienis rebus quacumque ratione sese abstinendi; quo, ut per se patet, *furta*, *rapinæ*, et ceteræ alienæ rei invasiones, dire-

pti onesque invito domino culpa, vel dolo illatæ vetantur.

§. 130. Deinde ex eodem domini jure rei suæ perpetuo inhærenti compertum habendum, alienam rem, quæ in nostram potestatem, sine facto nostro, utcumque inciderit, domino suo, qui innotuerit, una cum fructibus, si qui adhuc extent, impensis pro cultura, et cura persolutis, restituendam esse, si commode id fieri possit; alias dominum certiorem faciendum nos rem suam detinere: domino vero rem suam quandocumque vindicanti potiori jure idem præstandum, quin officium hoc bona possessoris fide mutari unquam possit. Obligatio enim aliena restituendi non ex facto, sed ex *re* proficiscitur; atque ita eadem semper in omnibus, qui *rem* alterius detineant, habenda est.

§. 131. At enim, si res perempta, fructus consumpti, tunc ad præstationes possessorum statuendas *bonæ* vel *malæ fidei* investigatio necessaria est. Videndum enim est cui damnum, quod ex rei defectu extiterit, jure imputandum sit. Ne vero sermonis am-

biguitate impediamur, bonæ vel malæ fidei notio ex vero statuenda est. *Bonæ fidei* possessor is dicitur, qui ignorantia invincibili laborans rem, quam domini animo ipse tenet, suam vere esse putat. *Malæ fidei* possessor contra is habendus, qui vel certo scit rem a se detentam alterius esse, vel dubia quæ de justitia suæ possessionis habet, ad liquidum perducere ut posset, et deberet, omittit.

§. 132. Jamvero, quando actiones ex ignorantia invincibili profectas voluntarias et liberas non esse moralium rerum scriptores late demonstrant, damnum, si quod e bonæ fidei possessoris facto domino illatum sit, imputationis materies non erit (§. 32.) in eo, qui non de aliena re, sed de sua disponere necessaria ignorantia arbitratus est. Quare integrum sane domini jus maneat in eum, qui alienam rem primus suffuratus in alium plane ignorantem, ceu suam, transtulit; atque ita damni, quod inde profluxit præcipua, immo una moralis causa extitit: at bonæ fidei possessor, qui rem, vel fructus consumpsit, personali quacumque præstatio-

ne absolvendus, qui tantum ratione rei ad eum perventæ, cujus eadem ubique causa est (§. 127.), id quod ex alienæ rei usu lucratus fuerit restituere debeat. Quod etiam sociabilitatis regulis apprime consentit, cui nihil magis contrarium, quam cum alterius jactura quemquam locupletari. E contraria ratione, quum actio malæ fidei possessoris voluntaria omnino sit, ei merito imputabitur damnum omne, quo dominus ob interceptum rei suæ usum affectus; quique proinde ab eo, qui damnum dedit, ejus reparationem perfecto jure postulabit (§. 100.).

§. 133. Hisce principiis probe constitutis, facili negotio possessorum præstationes ita statuantur. Si bonæ fidei possessor alienam rem donationis titulo acceptam amico, puta, donavit, alias de reliquis non daturus, vindicanti domino nihil restituat, nisi forte occasione muneris ejusdem aliud habuerit, quod nisi redderet, ipse contra officium (§. 132.) retineret. Si vero de suis æque donaturus fuisset, in quantum rebus suis pepercit domino obligabitur. Rem one-

roso titulo partam si bonæ fidei possessor distraxerit, lucrum inde si quod factum domino compenset, nisi lucrum hujusmodi totum a possessoris industria extiterit. Fructus rei quod spectat, si omnes neglexerit idem possessor, nil domino debet, quando ejus factum in alterius injuriam directum non fuit, sed ex necessaria dominii sibi legitime obventi persuasione processit. De consumptis id, in quo ditior effectus, restituet.

§. 134. In malæ fidei possessore contraria omnia statuenda sunt. Quidquid de re injuste retenta ipse egerit, domino semper ad pretium rei compensandum tenebitur; dolo enim agit quoties alienam rem in alium transferre cogitat, atque hinc absurdum nequitia sua a rei restitutione liberari. Hoc volunt romanæ leges sententia illa - *Dolus pro possessione est* (1). Idem statuendum, si res penes injustum detentorem perierit, alias apud dominum non peritura, quando

(1) Vide *LL.* 23. 28. §. 3. 36. *ff. de R. V.* 25. *de H. P.*

damnum illicito possessoris facto semper ascribendum est. Ad hoc fructus omnes, quos dominus e re sua percipere potuisset, curaverit, vel neglexerit malæ fidei possessor, domino, cui damnum intulit, præstabit. Ceterum impensæ necessariæ, vel utiles in rem factæ possessoribus omnibus naturali æquitate monente a domino persolvendæ sunt.



CAPUT X.

De Promissis, et Conventionibus.

§. 135. Humanitatis, et beneficentiæ officia, quibus sociabilitas maxime constat, debentis fidei, et pudori primigenio statu relicta (§. 79.), rerum operarumque commercia, quæ communis vitæ necessitas plane requirit, per promissa, et pacta firmantur, quæ proinde humanæ socialitatis, ac felicitatis instrumenta præstantissima censenda sunt. De his igitur nunc maxime agendum est, quum ampla paciscendi materies ex introducto rerum dominio superioribus capitibus adstructa sit.

§. 136. *Animi manifestatio, qua quis alteri, qui consentiat, fidem adstringit suam se aliquid rei, vel operæ daturum, Promissio* dicitur: *Duorum, vel plurium in idem placitum consensus*, generatim *Conventio*, *Pactum* vocatur. Quibus ex definitionibus compertum est, omnem promitten-

tem necessario pacisci, non vero e contrario omnem qui paciscatur, promittere. At enim quando pactionis compendium maximum in promissione est; per eam enim quod nobis desit acquirimus: de ejus natura, et requisitis præcipue verba faciamus, quum ea, quæ de promissis dicuntur, nullo negotio conventionibus universis aptentur.

§. 137. A promissione itaque, quam descripsimus, distinguendæ *nuda Assertio*, qua indicamus quid facere cogitemus, quin tamen nobis libertatem adimamus sententiam mutandi, et *Pollicitatio*, quæ est - *solius offerentis promissum*, definitore Jurisconsulto *in Leg.* 3. *ff. de Pollicit.* A prima si sine causa recedas, inconstantiæ quidem, vel temeritatis notam non effugies, at alterius jus non lædes, quando nullum transtulisti: altera vero simul ac ejus, cui facta, acceptatio accesserit, eodem jure ac ceteræ promissiones, censenda videtur: quantum enim ex te fuit, jus in alterius gratiam abdicasti.

§. 138. Jamvero illud in promissorum genere universe statuendum est - *datam fidem servandam esse.* Jus enim quod in alium transtulimus nostrum amplius non est (§. 121); injuria itaque prorsus agemus, si alienam rem contra domini voluntatem adhuc detinere pergamus. Ad hoc, humana socialitas nulla jam erit, si pactorum fide sublata, nihil homines alii ex aliis commodi, et utilitatis sint consecuturi: quod bene vidit Aristoteles, quum scripsit (1) - *Sublatis pactis, tollitur inter se usus hominum.* - Unde verissime Tullius pro Roscio Comœdo dixit - *Perfidiosum, et nefarium est fidem frangere, quæ continet vitam:* - nec ulla re magis Numæ Regis sapientia commendata, quam præclaro illo instituto - *Ut omnes Fidei numen metuerent,* - ut narrat Dionysius Halicarnassius (2).

§. 139. Sed ut promissa perfectam hujusmodi obligationem promittentibus afferant,

---

(1) *Rethor. Lib. I. Cap.* 15.

(2) Antiq. *Lib. II.*

nullo rei vitio impediantur oportet. Jamvero universalis promissionis, conventique omnis ratio hisce tribus complectitur: *Consensu*, apta *Materia*, et contrahentis *Jure*: ubi igitur in aliquo ex his grave vitium occurrat, inane promissum, pactumque judicandum. Singula jam persequamur.

§. 140. Consensus *declaratus*, *verusque* esse debet. Declarationem internæ voluntatis sese obligandi hominum conditio plane requirit. Deo utique solo animo obligamur; hominibus vero per verba nutus, scripta, aliaque externa signa, quibus animi sensus patefacere in more sit. Hinc certe promissario jus quæsitum est quod sua interest ab eo, qui promisit, referre. Nam illud jure externo perpetuum est, consensum sufficienter indicatum, et internum haberi contra promittentem; qui si asserat præfracte falso se promisisse, certe injustam alterius deceptionem novo consensu tollat oportet. Alias enim pacta omnia, quibus humana socialitas carere non potest, inania

dicenda, si prava falsiloquii exceptione a paciscentibus eludi possint.

§. 141 *Verum* consensum quum dicimus *voluntarium* intelligimus, hoc est, a libera hominis electione profectum, quæ necessaria actionum humanarum nota est (§. 8.). Hinc nulla promissa infantium, ceterorumque perpetuo, vel ad tempus rationis usu carentium, in quibus omnibus dum promissio peragitur vera judicii electio non datur. Quo vero tempore puer ratione uti incipiat certo definiri non potest: quum in aliis citius, in aliis tardius judicium adolescat. Ex pueri actionibus, et communi usu naturæ statu res æstimanda.

§. 142. Error, veritatis subversio, in homine est - *cogitatio rerum, de quibus est, naturæ, et proprietatibus repugnans*. Voluntas igitur inde profecta deliberata dici non potest, quum ex vera intellectus cognitione non sit (§. 8.). Hinc illa juris regula facta est - *Non videntur qui errant consentire* - (1). In promissis tamen pactisque er-

(1) *Leg.* 116. *ff.* de *R. I.*

ror talis sit oportet, ut præsentem paciscentis voluntatem impediat. Si enim privatæ cujusque opinionis, et causæ, qua quis ad contrahendum impellitur, ratio habenda sit, nulla erit promissio, quæ prætextu erroris convelli non possit. Sibi imputet quisquis conditionem, quam animo intendit, natura negocii non comprehensam, expresse conventioni non adjecerit. Verum, si erratum fuerit in ipso actu, qui geritur, vel in re, de qua agitur, vel tandem in qualitate rei ab agente primario per pactum expetitæ, præsens paciscentis voluntas defuisse videbitur. Quare nulla conventio inter eos, quorum alter rem vendere, alter conducere cogitet: nec gemmam comparare volenti vitrum, aut angularem mensam roganti rotundam pactionis lege obtrudes; in idem enim utrinque conventum non est: utut qui vincibili errore suo alteri ex paciscentibus damnum dederit, hoc sarcire teneatur.

§. 143. Eadem est ratio doli, quatenus hic alterius consensum ex falsa persuasione malitiose insinuata extorquet. Veram

quippe doli definitionem a Labeone traditam putamus, nempe, - *calliditatem, fallaciam, machinationem, ad circumveniendum, fallendum, decipiendumque alterum adhibitam* (1). Sane nihil interest nostro vitio, an alieno erremus, modo a veritate cum consentimus recedamus. Sed si dolus ab altero contrahente adhibitus fuerit, deceptus a pactione resilire poterit, etsi error ejusmodi non sit, qui actum natura sua irritum faciat (malitia enim sua absurdum quemquam ita juvari, ut alii necessitatem voluntatem suam non mutandi imponere valeat), modo conventio ex earum numero non sit quæ dissolvi nequeant. Tunc enim qui deceptus fuit damna ex injusta alterius circumventione profecta persequatur: uti eadem a tertio, qui dolum adhibuerit, sarcienda juste reposcat: actus tamen maneat, qui necessario consensus vitio non laborat (§. 142.).

---

(1) *Leg. l.* §. 2. *ff. de Dolo Malo*

§. 144. *Materia* promissionum, pactionumque sunt res, et facta, quæ nec physicas, nec morales paciscentium vires excedant. Hinc nulla conventio de re turpi, quam felicitas humani generis nunquam validam esse consentit. Turpe vero hic intelligimus quidquid naturæ lege prohibitum est. Nec distinguendum arbitror, an turpe factum patrarit alter ex paciscentibus, vel non: ut dicam primo casu promissum valere, altero non item, quia sic alius ad scelera illiceretur. Sicario, puta, centum promisisti, si privatum inimicum tuum confoderet. Nequam vir hic mandato tuo obsecutus est. Uterque pœna dignus, vana tamen inter vos conventio, quæ uti initio nulla fuit, ita scelere patrato firmari non potuit: quæ quidem si ex iniquo facto vires caperet vehementius, ut mihi videtur, scelestos homines ad prava sua promissa exequenda impelleret.

§. 145. Tertium in promissionibus considerandum *Jus* contrahentis est, quo nomine designamus *facultatem moralem dandi quidquam, vel acquirendi*. De concedendi

facultate optime Regula 79. *de Reg. Jur. in 6. - Nemo potest plus juris transferre in alium quam sibi competere dignoscatur*. - Sed moralis capacitas juris acquirendi necessaria videtur, ut ex pactione vera obligatio descendat. Cui enim obligati erimus, si is in cujus gratiam promisimus, ejusdem obligationis sibi acquirendæ jure destituatur? Certe obligatio ad jus alterius refertur: si igitur nullum alterius jus sit nos obligandi, immo sit in eo vera obligatio abstinendi a re in pactum deducta, nulla conventio existimanda est, quæ jura propriis obligationibus pugnantia in altero ex paciscentibus absurde statuat.

§. 146. De promissis, quæ vi metusque causa fiunt, anceps quæstio est, an summo jure valeant inter privatos homines (paullo aliter de pactionibus, quæ inter gentes fiant, disputandum est, ut suo loco videbimus), vel ipsa origine sua nulla sint. Nam licet omnes consentiant eum, qui metu gravi, et injusto ad promittendum adductus est, posse ab eo, qui metum ejusmo-

di intulit, omne condicere quod sua interest tale pactum fecisse, promissum tamen, si nihil aliud obstet, validum dicunt, quando ex metu, qui rationis usum non adimat, trepidatione nimia, *voluntarium liberum* non tollitur. Alii contra nulla suo ortu pronunciant, quorum sententiam sequendam putamus.

§. 147. Nam si consensus voluntarius habetur, materia pacti, et jus paciscentis maxime deficiunt. Suam enim rem, hoc est, naturalem libertatem, in qua læditur, emit quisquis injustum malum comminanti, ut se redimat, aliquid daturum, vel facturum, ad quod minime tenetur, spondet; at emptio suæ rei absurda plane est. Deinde quodnam jus erit vim inferenti eum sibi obligare, quem ab injusta vi sua liberare perfecta, et connata obligatione debet? Pacta, conventa omnia ideo sanxit naturæ lex quia humano generi necessaria, et utilia, nunquam vero, ut homines improborum vi, et importunitati iniquissime addiceret. Postremo, si, ut contrarii Auctores consentiunt, vim passus damna omnia ab extorta promissione profecta ab

eo, cui invitus promisit, repetere potest, quidni ipse naturali veluti compensatione libertatem suam ab injusto vinculo eximere valeat?

§. 148. At si metu extortum promissum, cujus objectum res mala non sit, jurisjurandi religione firmasti, facias id quod dixisti, non tam promissionis jure, quam ne videaris Summi naturæ Conditoris nomen falso usurpasse. Neque hic audiendi, qui blasphemiæ (ita extemplo religiosi effecti) hanc sententiam incusant, quasi ea statuatur Deum in improborum gratiam promissa firmare; non enim qua promissum; cujus immo damna omnia repetere æterna justi ratio consentit; sed qua dictum Supremi Numinis invocatione confirmatum, servandum jusjurandum est, cujus auctoritatem inviolatam esse universæ etiam humanæ societatis interest. Nihil igitur de juramenti sanctitate mutandum, nisi Potestas Ecclesiastica a Deo ipso in terris instituta a religioso vinculo jurantem absolverit.

§. 149. Hæc in omni pactorum genere consideranda. Sed promissis variæ a paciscentibus leges adiici possunt, quæ, si mali nihil habeant, pacta, et promissa, quibus accessere, moderantur. Huc referuntur *Conditio*, *Modus*, *Dies*: de quibus in Civili Jure late disputatur. Horum omnium rationem a natura si quæras, generale principium habeas, obligationis quantitatem, modum, et tempus a voluntate, et consilio promittentis rite pendere, cui, ut suam adstringere fidem liberum fuit, ita quibusdam legibus libertatem suam constrigere concessum esse debuit: quæ omnino servandæ; his enim remotis efficax se obligandi voluntas in promittente non fuit.



CAPUT XI.

De Actibus Beneficis, et Permutatoriis

Ubi

De Pretio rerum, et Pecunia.

§. 150. Pactorum finis rerum, operarumque communicatio est (§. 135.), quæ modo gratuita, modo onerosa est. Hinc actus omnes, quibus homines aliquid inter se communicant, *beneficos*, vel *permutatorios* dicimus. Benefici actus, si nullam perfectam obligationem in accipiente producant, proprie contractus non sunt; quando hoc nomine hic designamus *pacta illa*, *quæ utrinque perfectam obligationem afferant*: sed vel universalis beneficentiæ regulis (§§. 80. 81.) modo continentur, uti largitio præsens, vel in generica pacti ratione (Cap. X.), puta, donatio, consistunt. At si benefico actui perfecta utrinque respondeat obligatio, contractum habebimus, cujus naturam noscere ad

paciscentium officia moderanda necessarium sit.

§. 151. Præcipuus inter beneficos contractus est *Commodatum*, *quo*, nempe, *a domino res alteri certo modo utenda gratis conceditur*, *ut eadem in specie finito usu restituatur*. - Ejus origo a *beneficio*, mensura a *modo statuto*, finis in *usu* est. Commodantis itaque officium erit pati commodatarium concessa re uti: nec intempestiva rei suæ persecutione conventi fidem evertere. Si tamen res alteri commodata necessaria omnino domino casu aliquo evaserit, eam ante præfinitum tempus commodantem repetere posse verosimilior sententia videtur. Facile enim ex natura negocii, quod nullum jus perpetuum in alium transfert, et in beneficentia est, casum propriæ necessitatis dominus excepisse censendus est. Certe pessime alienæ benignitati respondeat quisquis benefactorem suum in damno gravissimo ob beneficium, quod ipse accepit, esse patiatur.

§. 152. Commodatarius contra non ad alium usum rem adhibeat, quam ad illum,

qui dictus est, neque eam in deterius abire sinat, sed modo, quo accepit, servet, modicas impensas, sine quibus re uti non possit, ferendo; graviores enim, quarum perpetua causa est, ad dominum spectant; finito vero usu, rem eamdem domino restituat, damnaque omnia ex sua culpa profecta compenset. At si casu res perierit, domini damnum erit, quando id commodatarii facto imputari non potest. Quod recte romanis Jurisconsultis placuit (1), a quibus perperam recedunt Grotius (2), et Pufendorfius (3) distinguendo, an res apud dominum æque peritura fuisset, vel non. Domino enim vitio vertendum est, qui cum sciret casus hujusmodi accidere posse, nullam de casu præstando commodato pactionem adjecerit: qua posita, fortasse commodatarius ab alieno beneficio se abstinuisset, ne illud carius aliquando redimeret.

---

(1) Leg. 5. §. 4. *ff. Commodati.*

(2) *De I. B. et P. II.* 12. 13.

(3) *De I. N. et G. Lib. V. Cap. IV.* §. 6.

§. 153. Parem beneficentiæ gradum cum Commodato *Mutuum*, obtinet, contractus, *quo res pondere, numero, et mensura constans, seu fungibilis, ea lege in alium transfertur, ut accipientis fiat, cum obligatione eamdem genere, quantitate, et qualitate restituendi.* – Mutui itaque essentia hisce tribus constat 1. *re fungibili* : 2. *translatione dominii* : 3. *tantumdem* ejus quod acceptum est *restitutione*. Periculum itaque rei mutuatæ ad mutuatarium spectet, qui post traditionem verus dominus effectus est, cui ex eadem ratione omnia ejusdem rei emolumenta, veluti dominii consectaria (§. 112.), addicenda.

§. 154. Hinc de usuræ pravitate certa sententia, si usuræ nomine intelligatur, uti debet, – *Lucrum ultra sortem ratione mutui perceptum.* – Id enim non minus naturæ adversum est, quam alienæ rei fructus sibi vindicare. Quæ ratio perpetuo iis obstabit, qui ex utilitate rei a mutuatario acceptæ usuras tuentur. Alia vero dicenda, si non ratione mutui, sed ob id, quod mu-

tuanti decedit rei suæ præstatione justum quid ultra sortem a debitore solvendum stipuletur. Salva enim mutui natura est; quum conventum auctarium, non accipientis commodo sed mutuantis damno totum innitatur. Præterea illud æquissimum est ne quis pejoris conditionis evadat mutuum dando, quam esset si mutuum non dedisset, nisi extrema alterius necessitas liberalitatem nostram expostulet. Quoties igitur cum mutuo alii tituli concurrant, qui justam perceptionem secumferant, toties aliquid ultra sortem emolumenti accipere vetitum non erit.

§. 155. Succedit *Depositum*, cujus summa apud cultiores gentes religio habita est, quando amicitiæ, et fidei vinculum, *quo quis alterius rem gratis custodiendam, quousque deponens eam reposcat, accipit.*-*Custodia* conventionis causa, quam depositarius præstet rem, citra domini consensum, propriis usibus non adhibendo, sed asservando ea diligentia qua in rebus suis uti solet, quæque amico deponenti nota esse debuit. Infortunium vero deponentis erit, cujus dominium muta-

tum non est, nisi forte illicito depositarii facto ipsa vis major ascribenda sit (§. 133.). In communi periculo depositas res suis anteferre depositarius non tenetur, nisi illæ longe pretiosiores sint; quarum tamen defensio a domino ad teruncium præstanda est. At si suis potius rebus, utcumque vilioribus, quam alienis pepercerit depositarius, jure externo de æstimatione solvenda deponenti non tenebitur; officium enim hujusmodi non tam a conventi fide, quam ex humanitate, et communi benevolentia descendit, cujus imperfecta obligatio est (§. 79.).

§. 156. Postremo nullum depositi restituendi officio antiquius est, simul ac dominus rem suam repetat. Si tamen depositi restitutio reposcenti, vel ceteris, quos tueri debeamus, exitio sit futura, illic ipsa benevolentia, unde pactum manavit (§. 155.), hic sociale officium, quod deserere non possumus, depositum reddere prohibeant. Præclare Tullius (1) - *Si gladium quis apud te sa-*

---

(1) De Officiis Lib. III. Cap. 25.

na mente deposuerit, repetat insaniens: reddere peccatum sit: non reddere officium, Quid si is qui apud te pecuniam deposuerit bellum inferat patriæ, reddasnè depositum? non credo; facies enim contra rempublicam, quæ debet esse carissima. Sic multa quæ videntur natura honesta, temporibus fiunt non honesta. Eadem habet S. Ambrosius *De Officiis Lib. I. Cap. ult.* Cum vero depositum redditur, deponentis obligatio est impensas omnes necessarias, vel utiles, quibus deposita res servata, auctaque fuit, persolvere.

§. 157. Alienam operam, cujus quandoque maxima utilitas est, benefico *Mandati* contractu nobis comparamus, - *quo alteri, qui suscipiat, negotium gratis gerendum committimus* -. Generale mandatarii officium est mandantis voluntatem implere. Si igitur certus mandato modus dictus sit, omnino sequendus; alias committentis fides adstricta non est. Si contra procuratoris dexteritati, et solertiæ res commissa, vel consilii loco expediendi negocii ratio est indicata: ad uti-

litatem domini actiones suas mandatarius ea diligentia componat oportet, qua in propriis rebus administrandis uti solet, quamque amicitiæ ratio contractu firmata jure suo flagitat, ut in deposito etiam observatum est (§. 155.). At, quando sola opera gratis concessa, mandantis contra erit procuratorem suum indemnem præstare a sumptibus, si qui in rem commissam facti, nec non a damnis, quæ propter rem mandatam secuta sint. Infortunium vero in mandato libere suscepto ex regulis justi præstandum non videtur (§. 162.).

§. 158. At non semper alienas res, et operas gratuito ex altero pacisci fas est, quarum tamen necessitas, vel utilitas non minus urget. Hinc *Permutatorii* actus exorti, quibus ideo aliquid alteri damus, ut vicissim aliud, quod nobis usui sit, accipiamus. Universalis contractuum hujusmodi justitia in *æqualitate* posita est. In his enim non alia mente suum contrahentes in alios transferunt, nisi ut tantumdem ex eisdem recipiant. Si quid igitur pluris ab altero ac-

ceptum , quam datum, id contra domini permutantis voluntatem injuste occupatum est (§. 126.).

§. 159. Jamvero æqualitas , quæ permutationes regat , non ex permutandarum rerum numero , sed ex earum pretio petenda. *Pretium* dicimus , quod quæque res valet. Pretii fundamentum generale in opportunitate rei humanæ vitæ usibus inserviendi statuendum est. Ut igitur quid quæque res valeat ex vero decernatur præ oculis habenda 1. *rei utilitas* : 2. *copia* , vel *raritas*. Quo enim major usus , quo difficilior ejus comparandi ratio , eo magis res , quæ eadem præstet , æstimanda. Unde , si arithmetices voces aliquando usurpare vetitum non est , non male dicamus ex composita ratione , *directa* utilitatis , *inversa* copiæ pretium cujusque rei intendi , vel remitti. Hæc utique a natura eruuntur. Ita aqua , licet utillima , parvi æstimatur , ubi abundat : at eamdem in locis aridis multis emeres. Non tamen negandum quasdam res ex singulari affectu magni a dominis æstimari ; sed hæc

peculiaris affectio ad humana commercia utrinque libere suscepta de rebus ad communem vitæ usum spectantibus non pertinet: quæ si rebus operisque inter homines communicandis adstructa sunt, non debent sane ex immodica rei suæ æstimatione cuique relicta absurde impediri.

§. 160. Res itaque operæque, quas permutare homines velint, seorsim antea æstimandæ: dein, vel inter se, vel cum mensura communi conferendæ sunt. Ex prima comparatione pretium oritur, quod *Vulgare* dicunt: ex altera pretium *Eminens* est, quia hoc tamquam communi signo omnia, quæ in commercio sunt, æstimamus; cujus quidem invehendi eximia ad humanas permutationes expediendas utilitas fuit. Nam ut vulgaris pretii crassior determinatio est, ita illud maximum incommodum erat, ejus præstantiam non semper permutantis votis respondere. Sæpe enim contingat, ut quum tu habeas, quod ego desiderem, invicem non habeam quod tu accipere velis; atque ita vulgari pretio prorsus despecto, permutatio

impediatur. Hinc provido consilio passim receptum apud homines, materiam quamdam eligere, quæ rerum, operarumque omnium in commercio versantium valorem referret, quæque proinde permutationum difficultatibus egregie subveniret (1). Pretium hoc eminens *nummus* dicitur, quem Aristoteles generatim definivit (2) - *Communem mensuram*, *ad quam omnia referuntur*, *quaque mensurantur omnia.* -

§. 161. Nummi materia varia pro vitæ instituto apud homines fuit; constanter tamen observatum est eamdem in rebus, quarum communior æstimatio esset, collocatam fuisse. Diversas quippe hominum ætates percensendo, cernas Nomadas gentes nummum in gregibus, et armentis constituisse: agricolatione invecta, nummis accessisse proventus quosdam, quorum receptior usus esset; qui mos apud Indos, Afros, Americanosque et nunc viget. Fabrili arte

(1) Vide *Leg. I. De Contrah, Empt.*

(2) *Nicomach. IX. I.*

latius diffusa, ferri, ærisque pretium eminens statutum, veteris nummi memoria in voce *pecunia* servata. Perfectiori tandem vitæ cultu sensim hominibus subrepente, nobiliora metalla, *argentum*, et *aurum* ab omnibus æstimata, et hinc ex eisdem nummus conflatus est; cujus quidem materia optima delecta fuit, tum quia difficile consumi, et facile huc et illuc transferri, custodiri, in partes dividi potest, tum quia inter copiam, et raritatem media est: quæ res facit, ne hominibus deficiat, neve ob contemptum a permutantibus reiiciatur. Sed de pecunia nunc satis: ad contractus redeamus.

§. 162. Et ante inventum nummum *Permutatio* usitata, quæ late accepta pro contractu - *de re, vel opera pro alia æquivalente habenda*, - omnes ferme contractus, quibus homines inter se res operasque non gratuito communicant, continet. Sane innominati contractus illi Romanorum: - *Do ut facias: Facio, ut des: Facio ut facias*: - ex naturæ simplicitate in Permutationis ratione, quæ proprie contractu - *Do, ut des* - ab-

solvitur, consistunt; et eisdem ideo regulis, quibus permutatio, dijudicandi sunt.

§. 163. In permutatione æqualitas servanda, quæ necessaria actus nota est (§. 158.). Hinc permutantium officium erit, læsionem, si quæ irrepsit, removere, et voluntaria damna sarcire. Contractu vero inito, si mora non intercessit, res mutuo contrahentium periculo erunt; quando sola voluntate dominium transfertur natura (§. 121.). Infortunium hinc a neutra parte præstandum.

§. 164. Pecunia invecta, res, operæ facilius permutatæ (§. 160.), et nova contractuum nomina facta, quorum quidem generica ratio in permutatione esse debuit (§. 162.), propria tamen ex ipso negocii genere, receptis vocibus tradenda est. Si duo itaque, alter pecuniam pro re habenda, alter rem pro pecunia vicissim tradere instituant, negotium hoc *Emptio Venditio* dicitur, - *contractus*, nempe *de re pro certo pretio præstanda*. - Venditor pecuniam, emptor rem propositam habet. Simul ac igitur *certo* de utraque constiterit, conventio absoluta;

et si de pretio aliqua ratione satisfactum sit, vel habita fides, statim venditæ rei dominium in emptorem transferetur; pretio siquidem remoto, venditoris voluntas, unde translatio juris pendet, ex natura negocii præsumenda non est (1).

§. 165. Sed certa rei æstimatio statui non potest ab iis, quibus rei qualitates exploratæ non sunt. Interna itaque venalis rei vitia a venditore patefacienda sunt: immo et externa, si hoscitanter ab emptore animadversa, saltem ex regulis honesti, indicanda existimo. Quid enim universali benevolentiæ (§. 79.), et conventorum fidei adversius, quam ex aliena incuria lucrum aliquod captare, et alios eo ipso damnum habere, si forte res diligentius postea explorata usui, ad quem parata, apta non sit, quod nostræ honestati remissius se crediderint?

§. 166. Hinc justum emptionis pretium statuendum, quod æqualitatem permutationum universe moderari jam diximus (§. 159.).

---

(1) Concordat §. 41. *Inst. de Rer. Div.*

Læsio itaque, undecumque processerit, corrigenda ; quamvis in simplici naturæ statu, ubi pretium legitimum esse non potest, læsionis termini, si nullum aliud vitium obstet, in puncto constitui non possint: nec etiam tranquillitati humani generis conveniat ob levissimum quodlibet damnum negotia contracta passim rescindi.

§. 167. Pacta, quæ emptioni venditioni adiici solent, puta, *Addictionem in diem*, *Legem commissoriam*, *Pactum Protimeseos*, sive *Retractus*, *Retrovenditionis*, aliaque late persequuntur Jurisconsulti (1). Nos a contrahentium consensu, unde conventio quælibet stat, generatim servanda cognoscimus, quum in se nihil mali contineant (§. 149.). Tantum in venditionis lege, quæ *Auctio* vocatur: qua nempe res ex pluribus licitantibus illi qui plurimum obtulerit addicitur: monendum ducimus venditoris officium esse licitantium certamina libera omnino relin-

---

(1) Vide *Dig. Lib. XVIII. Tit.* 2. 3. Cod. *Lib. IV. Tit.* 54.

quere, nec clancularis artibus eadem intendere, aut pro varia conditione quæ appareat, res ad se retrahere: emptorum vero, in perniciem venditoris non colludere. Ipsa enim certaminis alea pretium utrinque constituit.

§. 168. Periculum et commodum rei venditæ ad emptorem pertinere incipiet vix in ipsum dominium sit translatum, quod conventi pretii satisfactione fieri diximus (§. 164.). Hæc quidem ex perpetuo dominii jure hauriuntur, quo quisquis commoda, vel incommoda *rei suæ* ferre debet. Periculum tamen quod attinet, illud etiam naturæ jure præceptum est, damnum ab eo, qui dolo, vel culpa dederit, sarciendum esse. Hinc perfecta conventione casus rei venditæ modo emptoris, modo venditoris damno erit, prout alterutrius moræ, vel culpæ tribuendus sit.

§. 169. Postremo cum emptoris consilium sit rem cum suis qualitatibus sibi contractus ope comparare, (§. 164.), et hoc venditor pretii definitione eidem spondeat, manifestum est, re in totum vel in parte evicta,

juste emptorem a venditore reposcere, ut indemnis ipse præstetur. Evinci autem res dicitur, cum tertius quidam jus aliquod suum in re empta sibi vindicat ex causa, quæ contractum præcesserit. Quæ quidem *evictio* non in emptione modo, sed in omnibus onerosis permutationibus præstanda, cum ejus ratio ex natura negocii descendat.

§. 170. Emptioni venditioni proxima *Locatio Conductio* est -*consensualis contractus de usu rei, vel operæ pro certa mercede habendo.*- Si pro *re* usum, pro *pretio* mercedem intelligas, noscas locationem mutuo contrahentium consensu in utrumque, uti emptionem perfici, et constare. *Nam ut emptio venditio*, recte Gajus *in Lege* 2. *ff. Locati*, *ita contrahitur, si de pretio convenerit: sic locatio conductio, ita contrahi intelligitur, si merces constituta sit.* Quidquid igitur de pretio rite statuendo (§. 165.), læsione cavenda (§. 167.), evictione præstanda (§. 169.), animadversum est supra, et huic contractui aptandum, quo id tandem agitur, ut locator quidem usum, fructum rei, vel o-

peram cum alterius pecunia, seu jure eam certo tempore exigendi permutet: conductor ideo conventum pretium, seu mercedem rependat, ut re utenda, puta domo (qui inquilinus), vel fruenda, nempe fundo (qui colonus dicitur), vel aliena opera ad modum, qui dictus sit, potiatur.

§. 171. Proprium tamen locationis est, dominium rei, quæ usum, vel fructum debeat, in conductorem non transferri, cui una detentio rei concessa, sine qua nullus usus futurus. Unde illud est locatorem præstatione rei a vitio immunis non continuo, uti emptorem, liberari, nisi pariter cum re usum locationis tempore conductori exhibeat. Non enim ob rem traditam usum percipit conductor, sed ob usum, qui contractus finis est, rem accipit. Ex his peculiares contractus hujus præstationes nullo negocio deducentur.

§. 172. Locatoris erit rem usui aptam exhibere, necessarias impensas ferre, nec conductorem priusquam locationis finis advenerit, sine justa causa, expellere, damna, si-

quæ forte sua mora, vel culpa intulerit, sarcire, et locatæ rei casum, qua dominum, sustinere. Eadem fere pro rei conditione de operarum locatore dicenda. Hic tantum monendum, humanitatem non ferre, eos, qui nobis continentem operam locaverit, si morbus, vel alia calamitas ad modicum tempus illam præstare impediat, statim eiicere, aut mercede privare: maxime cum conductoris beneficium sequenti operarii diligentia pensari possit. - *Nam ex hujusmodi cura*, eleganter, et vere Columella (1), *nascitur benevolentia, nec minus obsequium. Quin etiam fidelius quam prius servire student, qui convaluerint, cum est ægris adhibita diligentia.* -

§. 173. Conductor vero quovis locationis genere conventam mercedem solvere debet, modo usum rei habuerit. Sane, si res tota vel ejus pars citra conductoris culpam perierit, justum est ad modum imminuti usus mercedem remitti; e rei enim defectu, cu-

---

(1) *De Re Rust. Cap.* 1.

jus damnum locatoris est (§. 172.), fructus corrumpitur. At si casus non ipsam rem affecerit, sed usum tantum interceperit, durius quidam, et inter hos Grotius (1), pronunciarunt conductoris damnum esse, nec eumdem mercedis solutione liberari, quando facultate utendi per locatorem non caruit. Verum non utendi jus, sed usus ipse mercedi respondet (§. 170.): ubi igitur hic deficiat, merces remittenda. Ad hoc, locatori nihil detrahitur pensione negata; si enim ipse rem non locasset, nullos in hypothesi ex re sua fructus percepisset: cui proinde alterius jactura proprium damnum avertere concedendum non est.

§. 174. Nobis hujusmodi quæstione placet ipsum locatæ rei usum inspicere, an is natura sua certus, definitusque sit: vel incertus, nec perpetua mensura circumscriptus. Primus, qui in ædibus locatis, puta, spectari potest: constans enim earum usus in ha-

---

(1) *De I. B. et P. II. XII.* 18.

bitatione est : si aliqua calamitate intercipiatur pensionem imminuet, quæ illius intuitu promissa fuit. In altero vero, quem in agris, aliisque incerti redditus considerare possumus, quæ damna ex ipsa re proficiscuntur, puta, sterilitatem, æquo animo feret colonus, cui pro varia rei conditione ubertas, et immodicum lucrum non aufertur : alia vero quæ ex externa causa, vel extra consuetudinem accidant, si graviora sint, mercede levanda videntur ; quando hæc non tam ex incerto rei usu, de quo conventum, quam ex majori vi profluxisse censenda : et dura nimis coloni conditio sit, - *si supra damnum amissi seminis mercedes agri præstare cogatur*, - ut loquitur Jurisconsultus *in Lege* 25. *ff. Locati*.

§. 175. Præterea conductor, qui alienam rem domino, finita locatione, restituendam tenet, debet ea ad morem boni patrisfamilias uti : in quo si quid negligentia peccaverit, damnum inde exortum compenset. Quidquid autem rei ex ipso usu decedat, locatoris damnum erit, in quod ipse locando

necessario consensit. Vitio tamen conductori verti poterit, si instans rei a se detentæ damnum locatori in tempore non denunciaverit.

§. 176. In opere locato, ut hoc obiter notemus, conductoris est opus suo tempore exhibere, et damna omnia ex sua mora, vel imperitia profecta (utraque enim culpæ rationem habet) sarcire. Periculum vero operis, dum hoc absolvitur, modo locatori, modo conductori ascribendum, pro varia contractus conditione, qua dominium rei, unde opus efficiendum, penes unum, vel alterum maneat.

§. 177. Sed homines alii aliorum auxilio egentes sæpe inter se vires suas conjungunt, ut aliquem optatum finem adipiscantur. Ex honesti quæstus desiderio *Societas* est, - *Contractus*, nempe, *de rebus, vel operis conferendis, ut lucrum et damnum inde proventurum inter conferentes dividatur*. - Contractus hic probe secernendus ab altero, quo aliqui inter se universa bona et quæ sint, et quæ esse possint,

communicant, ut parem in posterum experiantur fortunam, quem *societatem universalem* vocant. Hoc enim alea velut luditur, quando non quod hinc, et illinc obvenit, sed quod probabiliter sperari potuit, spectatur. Hinc, manente societate, unum patrimonium quodammodo factum, unde sociis id sumere licet, quo ad naturales, et perfectas erga se, aliosque obligationes explendas indigent. Ex his duo hujus societatis propria notanda: I. Lucrum, et damnum æque inter socios distribui, licet inæqualis collatio initio fuerit: II. Eum, qui minus contulit, aliquando ob necessarios familiæ suæ usus *plus* quam ceteros e communi re capere posse.

§. 178. At in societate singulari, quam definivimus, æqualitas omnino servanda in lucri damnique divisione, quæ contractus finis, justissima ratione, quam expressit Aristoteles (1), nempe,- *In pecuniarum communicatione plura accipiunt, qui plura contulerunt.* -

(1) Nicom. VIII, 16.

Æqua enim lucri partitio, ubi iniqua collatio fuerit, inæqualitas est. Æquum igitur cuique pro rata ejus, quod in societatem immisit, geometrica proportione tribuendum.

§. 179. Societatem itaque ea lege initam, ut alter lucrum tantum, alter damnum sentiat, injustissimam esse nemo non videt. Injusta pariter societas conventione, qua alter ex sociis sibi certum lucrum quotannis percipiendum paciscitur quin rei, quam in societatem immisit, periculum et damnum unquam subire debeat, societas *ad caput salvum* dicta, ut vetitum fœnus inde erumpens mitiori vocabulo obtegeretur. Potest tamen inter socios pacisci, ut aliquis lucri sit particeps, immunis damni. Contractus enim inde emerget mixtus ex societate, et *Assecuratione*, seu contractu *aversi periculi*, qui breviter est, - *aversio periculi pro certo pretio*. - Societate vero hujusmodi ita *servabitur æqualitas*, *si tanto plus lucri ferat*, *quam alioqui laturus fuerat*, *qui damnum in se recepit*, uti loquitur Grotius (1).

(1) *De J. B. et P. II. XII*, 24. 3.

§. 180. Valeat, necnè, pactum de inæquali lucri partitione ubi collatio æqualis fuerit, non adeo expedita res est. Sunt qui pactionem hanc defendant ex donatione, quam societati admixtam putant. At hoc invento quælibet iniquitas excusari posset. Dein societatis contractus ex quæstu est (§. 177.), cui donatio adversa. Si placeat tamen liberalitatem hic fingere, illud exploratum est, lucri remissionem sponte a socio exhibendam esse; nam si non alia conditione quis alterum in societatem recipiat, nisi is de inæquali lucro conveniat, liberalitate sublata, una permutatorii actus iniquitas (§. 158.) manebit.

§. 181. Præterea et in societatis contractu data fides servanda. Hinc simul ac de ea coeunda partes convenerint, promissam symbolam conferant oportet: alias damna sua mora illata sociis compensent. Nec intempestive societati renunciare licitum est, si quidem societatis intersit ne intempestive dirimatur. Sociorum enim utilitas, unde contractus extitit, spectanda est.

§. 182. *Cambium* quoque noscendum, cujus quidem latissima vox permutationem quamlibet designat, atque ita vetustissimam contractus speciem exhibet. At quando nomen hoc pecuniæ permutationi loquendi usu inhæsit, inde compositus contractus exurgit, variis gentium moribus, et institutis adstructus, cujus tamen regulas ex simplicibus contractibus, quibus constat, naturali jure deducere fas est.

§, 183. Qui pecuniis commutandis operam navant, Argentarii, Trapezitæ, Nummularii, Collybistæ, Mensarii appellati, dum præmium quoddam permutatæ monetæ, aureæ, puta, cum argentea, peregrinæ cum patria, sibi vindicant, illicitum fœnus non exercent, sed industriæ suæ in nummis conquirendis, laboris, impensarum, quibus ob munus hujusmodi obnoxii, mercedem postulant. Quare hoc cambii genere, quod *minutum*, et *manuale* vocant, una permutationis justitia ex pretio, et fide metienda est.

§. 184. Sed alia pecuniæ permutandæ ratio est, ope literarum, quas *Cambiales* vocant,

unde Cambium *locale*, et trajectitium est: - *Contractus solo consensu perfectus de pretio alteri dando, et literis ab eodem tradendis ad tantumdem alibi recipiendum.* - Inventum eximium, quo cum remotissimis gentibus, quasi præsentes sint, absque trajectionis incommodis commercia exercere datum est. Quod commodum consequi qui velit aliquid pretii loco, quod onera ejus, qui literas tradit compenset, rependere justum est. Sane commerciis inter homines adauctis, et honesta hujusmodi industria semel constituta, cambialium pretia eadem mensura ac ceterarum rerum in commercio versantium æstimanda esse (§. 159.) cordatus quisque consentiat. At si nulla pecuniæ translatio revera fuerit, licet in literis loci adjectione conficta, spurium cambium, quod *siccum* dicunt, existet, quod *ex se* lucrum ultra sortem præstare non poterit, quando verum mutuum, cambiali schemate indutum (§. 174.).

§. 185. Vero itaque in cambio, præter distinctos solutionis, et restitutionis locos, tres, si non plures, personæ interveniant

oportet. Est qui pecuniam numerat, vel numeraturum spondet, sibi vel alii condicto loco solvendam, qui *Remittens* vocatur: alter qui curam in se recipit, ut accepta pecunia alibi restituatur, *Trahens* appellatus: tertius, cui a trahente mandatum est cambiali litera pecuniam alio loco restituere, quem *Tractarium* vocant: quartus etiam alius a remittente esse potest, cambialis literæ possessor, cui solutio facienda, *Præsentans* qui dicitur, quando literas exhibet tractario, et hinc solutionem reposcit.

§. 186. Jamvero obligationes ex cambiali contractu exortæ pro diversa conventionis forma variæ statuendæ sunt. Inter remittentem, et trahentem negocium emptioni venditioni affine est. Commodum enim pecuniam certo loco exigendi ope cambialis literæ emitur a remittente, pretii satisfactione. Hinc *cambialis* juris dominium, contractu perfecto, emptori quæsitum (§. 164.): pecunia, quam *valuta* appellant, venditoris facta; qui tamen venditæ rei evictionem præstabit, si quacumque de causa, modo emptoris culpa

absit, solutio condicto loco facta non fuerit. Jus quippe alio loco pecuniam exigendi venditum est, et cambiales, veluti medium actionis exercendæ, traditæ sunt.

§. 187. Inter trahentem, et tractarium ratio mandati est, quod invitus tractarius suscipere non cogitur. Quare si is recuset, poterit tertius mandatum suscipere, et pecuniam suo tempore solvere: quæ acceptatio *per honorem* dicitur: quo facto in mandatarii jus hic succedet, quum mandanti utillimam rem gesserit. Mandato vero suscepto curare debet acceptans ne ejus fines egrediatur. Caveat igitur ne ante tempus, aut conditionem literis expressam, aut in alia moneta, quam præscriptum sit, solvat; in his enim trahens non obligabitur: qui alias mandatarium suum indemnem præstare debet.

§. 188. Remittentem inter, et præsentantem, aliquando mandatum est, si, puta, simplex pecuniæ exactio alteri commissa: aliquando emptio venditio est, si pecunia, seu *valuta* accepta, in *Giratarium* (ita vox est) cambiale nomen translatum sit. Remit-

tens enim, qui cambii dominus est (§. 186.), in alium jus suum transferre non prohibetur. Quod de aliis, in quos idem jus trasferatur, agnoscendum est. Evictio itaque ex natura negocii giratario præstanda a proximo cedente, qui venditor est, et si is solvendo non sit ab alio girante, et sic deinceps, donec ad trahentem, et venditorem primum deveniatur, cujus obligatio per continuam cessionum seriem non mutata, sed eadem semper usque ad ultimum cessionarium, seu præsentantem, et empta, et vendita fuit.

§. 189. Nec silentio prætereundi contractus, qui *aleam* continent. Alea vero hic intelligitur *incertus eventus lucro, vel damno nobis cessurus*. Contractus hi jure naturæ liciti habendi, quoties in par damnum, vel lucrum, dolo seposito, utrinque consensum sit. Ex ipsa enim incertitudine in utramque partem *æqualitas* est. Hinc recte spes emitur, puta, jactus retis, piscium captus a piscatore, et pretium solvendum, etsi nihil eorum acquiratur, quæ sperata sunt (1).

---

(1) Vide *Leg.* 11. §. *ult. ff. De Contrah. empt.*

§. 190. His principiis dijudicanda *Sponsio*, hoc est - *Contractus*, *quo duo pluresve de veritate*, *aut eventu alicujus rei certantes*, *sibi mutuo ita aliquid promittunt*, *ut is*, *cujus assertio fefellerit*, *alteri quid præstare teneatur*. - Quod conventi genus, si de dubio eventu spondentibus serio, bonaque cum fide ineatur, nec vitiorum ilex sit: quale M. Antonii, et Cleopatræ luxus, et intemperantiæ certamen fuit (1) (§. 144.): naturali lege servandum est.

§. 191. Huc etiam referas *ludorum* genera omnia, in quibus, nempe, *ludentes inter se paciscuntur*, *ut victori cedat quod singuli deposuerunt*. Victoria enim incerta res, quæ in pactum deducitur: cum igitur ad eamdem obtinendam par utrinque probabilitas sit, ludus, si in se nullam pravitatem habeat, ut contractus valet, modo intra naturæ fines contineatur, quos optime descripsit Tullius *De Officiis lib. I. Cap.* 29. - *Ita a*

---

(1) Plinius Hist. *Nat. IX.* 35.


natura generati non sumus, ut ad ludum, et jocum facti esse videamur: sed ad severitatem potius, et ad studia quædam graviora, atque majora. Ludo autem, et joco uti illo quidem (honesto scilicet) *licet: sed sicut somno, et quietibus ceteris, tum cum gravibus, seriisque rebus satisfecerimus.* –

§. 192. Ad extremum occurrunt contractus, qui alterius firmandi gratia fiunt, quos inter seligam *Fidejussionem*, *beneficum actum, quo quis in majorem creditoris securitatem alienæ obligationi accedit.* – Fidejussoris obligatio *accessoria* est, et ad unam creditoris *securitatem* suscepta: sed hæc, nisi debitor principalis solvendo non sit, creditori integra est. Beneficium igitur *Excussionis* a Justiniano invectum (1), antiquum Romanorum jus merito emendavit. Ut vero debitor obligationi suæ satisfacere neglexerit, hanc Fidejussor ejus vice im-

(1) *Auth. Praesente Cod. De Fidejuss.*

plere tenebitur, existente conditione, qua cum creditore ipse contraxit. Damnum tamen inde ortum a debitore sarciendum petet Fidejussor, cui officium suum damnosum esse non debet.

§. 193. Si plures pro uno debito fidejusserint, vel singuli creditori solidum, vel conjunctim idem promiserunt. Prima hypothesi, integrum creditori est quem lubeat ex confidejussoribus ad solvendum adigere. Unius vero solutione ceteri liberantur; qui omnes ex confidejussoris facto juvati illius damnum pro rata pensabunt. Altera hypothesi, cuncti quidem, veluti persona moralis, debitorem reprehesentant, atque ideo singuli pro virili tenentur. Si tamen aliquis solvendo non sit, damnum ab aliis confidejussoribus ferendum erit, quando ab omnibus simul sumptis integrum debitum creditori solvendum promissum est.



CAPUT XII.

De Jure in re aliena constituto.

§. 194. Sed et illa pactorum vis noscenda, qua dominia rerum variis modis imminui possunt. Hoc enim dominus curat dum alteri jus aliquod in re sua concedit, quo constituto, imperfectum, vel imminutum, certe arctatum dominium (§. 107.) enascitur, ex conventionis forma, et natura omnino moderandum. Singula quæ in aliena re constitui possint jura percensere instituti nostri ratio non patitur: potiora indicasse sufficiat.

§. 195. Sæpe dominus proprietate rei contentus plenum fruendi jus in alium ita transfert, ut inde dominia duo emergant, *directum* unum, *utile* alterum appellatum, quorum jura et nomina a partium conventione determinata sunt. Ita si quis prædium suum alteri habendum, fruendum ut libuerit concesserit ea lege, ut certa pensio, *canon*

quæ dicitur, in dominii agnitionem sibi quotannis solvatur, *Emphyteusis*: si vero pro annuo canone fidelitatem, et servitia quædam sibi a possessore præstanda stipuletur Proprietarius, *Feudum*, jus ex concessione enatum vocatur: de cujus origine disputant quidem eruditi (1); res tamen, qua contractum exhibet, ex naturali justitia definienda: ut de *Cambio* observavimus (§. 183.).

§. 196. Proprietarius itaque et Emphyteuta, qui distinctum dominium in eadem re habent, illud maxime cavere debent, ne alterius juribus invicem officiant. Proprietatis causam lædet Emphyteuta, si vel rem deteriorem faciat, vel conventum canonem, qui directi dominii indicium est, non solvat. Dominium utile impediet proprietarius si pleno utendi fruendi juri, quod emphyteutæ est, se immisceat, quoties dominium suum in tuto sit. Si quid igitur ab alterutra parte peccatum sit, damnum a lædente reparan-

---

(1) Vide Hertium *Diss. De Feudis oblatis Sect.* 1. §. 2.

dum. Nam, ut emphyteuta jure sibi quæsito excidat, si certo tempore canonis solutionem protraxerit, a conventionibus, vel a moribus, et institutis populorum est, uti cetera, quæ de consensu domini directi in alienatione fundi emphyteutici, de laudemio, aliisque a Jurisconsultis exponuntur, agnoscenda sunt.

§. 197. In feudo utile dominium permutatur cum jure exigendi *Fidelitatem*, hoc est, curam, et diligentiam ejus, qui feudum accipit, *Vassallus*, *Miles*, *Beneficiatus*, *Devotus*, *Infeudatus* dictus, ne quid in præjudicium domini directi fiat. Hinc mutuæ obligationes derivandæ, uti in emphyteusi diximus. Sed fidelitas, quæ veluti dominii utilis pretium consideranda, personæ maxime inhæret, et in tempore æstimatur; quoties, nempe, vassalli servitiis domino opus sit. Naturale igitur in feudo videtur, ut domino, vel vassallo mutato, contractus cum successore innovetur *Investitura*, qua vetus fidei vinculum inter novas personas confirme-

tur (1) : ut dominium utile ad directum redeat, si vassallus veram *feloniam*, hoc est, *fraudem improbitatem in dominum* admiserit (2) : quæ actio sponsam fidelitatem ita abrumpit, ut, nisi novus consensus accedat, redintegrari nequeat mutua illa fiducia, cujus gratia primum contractum est. Iniquum autem vassalli factum innocuis successoribus damno esse non debet, quando ipsis in prima concessione feudi consultum sit. Cetera a pactis, et civilibus institutis pendent.

§. 198. Et ille, qui alteri jus certam fructuum quantitatem ex prædio suo quotannis percipiendi vendit, vel in solo suo habendi ædificii dat potestatem, modico vectigali, quod *solarium* dicitur, sibi servato, species juris in aliena re constituti exhibet, quas *Censum*, et *Superficiem* vocant. Censiticum jus ex emptionis venditionis regulis judicandum, ubi de re, hoc est, fructuum

---

(1) *Feud. lib. II. tit.* 24. 40.

(2) Voet *Digr. de Feud. n. III. ad Lib.*38. *tit.* 19. *Pandect.*

quota, quæ ex re frugifera percipiatur, et pretio recte conventum sit. Alterum superficiarium dominum facit eorum, quæ solo superextructa sunt, nunquam ipsius soli, quod dominus sibi integrum voluit. Diruto vero, aut combusto ædificio, aliud excitare, nisi pactum obstet, superficiario liceat; quum solum existat, in quo habere ædificium concessum est.

§. 199. Præterea sæpe alteri jus facimus utilitates quasdam, veluti suas, ex re nostra sibi asserendi. Cessiones hæ alienæ utilitatis causa institutæ *Servitutes* vocantur, in quibus constituentis mens omnino servanda, quando ex hac translatio juris pendet (§. 112). Hinc si quid ambigui in his occurat, recte statutum est, leviorem quidem servitutem fieri posse; graviorem vero, ejus, qui concessit, damno fieri non posse. Romani Jurisconsulti servitutes omnes in *prædiales*, et *personales* distinguunt, et multa subtiliter de his habent, quæ tamen civilia sunt. Illud a natura hauriendum servitutes omnes hominis utilitatem respicere, sed

alias recta in personam ferri : puta , *Usumfructum*, *Usum*, *Habitationem:* alias ex occasione viciniæ maxime excitari : quo reales omnes servitutes ex opportunitate prædiorum exortas referre poteris.

§. 200. Tandem et res nostras Creditori subiicimus, ut inde de credito suo securus sit . Ex hoc alteri Jus *Pignoris*, vel *Hypothecæ* in re nostra quæsitum est , cujus finis *securitas* habetur; quæ in re mobili traditione, et *pignus* , in immobili , quæ amoveri non potest, conventione curatur , et *Hypotheca* dicitur . Hinc satis compertum *Pactum Antichreseos* , *quo creditori jus conceditur re frugifera pignori data utendi fruendi donec sors restituatur*, contractus naturæ pugnare, et vetitum fœnus includere , nisi alio justo titulo conventio innitatur, uti in mutuo animadvertimus (§. 154.). Creditoris itaque jus erit,si debitum statuto tempore solutum non sit, rem pignori datam , cum frustra debitorem monuerit (quod sociabilitas postulat , jubet humanitas) distrahere, et ex pretio quod sibi debetur deducere . Simul ac vero debitor

obligationi suæ satisfecerit, pignus eidem restituendum jure, quod in alienæ rei detentore ex contractu sæpe jam diximus.



CAPUT XIII.

Quibus modis exortæ ex pactis Obligationes solvantur.

§. 201. Obligationes semel contractæ non una ratione dissolvuntur. Universe sic statuendum. Sive causa, ob quam contractum, impleta: sive consensus, unde fides adstricta, cessaverit: sive obligationis subjectum defecerit, solvi obligationem necesse est. Facile itaque naturales finiendæ obligationis modos ad aliquam ex tribus classem revocabimus.

§. 202. Impleta conventionis causa erit, si alteri id, de quo conventum, integre solutum sit: a debitore, vel ab alio, nihil interest, modo quod sibi pacto quæsierit alter habuerit. Obligationes itaque natura perimet *Solutio*, cujus vim habebit et *Delegatio*, - *qua creditori nostro volenti alium vice nostra soluturum ita delegamus, ut is nova promissione debitum in se totum recipiat*.- Quo facto fides, quam dedimus, altero pro-

bante, liberata est. Huc etiam spectat *Compensatio*, quum nempe idem utrinque deberi incipiat. Solvit enim uterque dum actionem suam in alterum remittit, et concursu æqualium jurium tollitur obligatio, quæ alias in inanes solutiones abiret.

§. 203. Deinde, *nihil tam naturale est, quam eo genere unumquodque dissolvi, quo colligatum est*: uti habet Ulpianus (1). *Mutuo dissensu* itaque concidet vis conventionis quam paciscentibus servare, vel deserere liceat, et ex qua alteri jus quæsitum non sit: secus enim remissio juris vetita, quia propriis obligationibus adversa (§. 29.). Item si consensum tuum ad certum diem, vel ad statum, munus, puta, quod gerebas cum pactus es, diserte cohibuisti, advento *tempore*, *mutato statu*, suscepta obligatio cum consensu evanescet. *Perfidia* etiam alterutrius partis respondentem in altera præstationem abrumpit, quasi ea lege contractam: præstabo

---

(1) *In Leg.* 35. *ff. de R. I.*

utique quod promisi, si et tu præstiteris id cujus intuitu fidem meam adstrinxi. Hinc illa juris vox - *Frustra sibi quis fidem postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat*(1) -. Perfidus tamen nequitia sua obligationem, quam suscepit, non tollat, nisi alter pactum potius rescindere, ubi id fieri liceat, quam ejus implementum urgere decreverit.

§. 204. Corruat tandem oportet obligatio, si quo subsistat amplius non habeat. Huc referas *Confusionem*, qua creditoris jus in debitorem immigrat, et subjectum obligationis extinguit, quum nemo sibi ipsi aliquid debere amplius possit. Eodem censu habeas *Mortem* in obligationibus, quæ ex natura negocii, vel expresse personæ inhæreant: reliquas enim ex bonis defuncti, unde maxime susceptæ, impleri æquum est.

---

(1) *Cap.* 75. *de R. I. in* 6.

CAPUT XIV.

De Interpretatione.

§. 205. Parum prodesset aliorum fidem pactorum ope nobis obstrinxisse, si suo quisque ingenio externa signa (§. 140.), quibus voluntatem semel expressit, explicare posset. Sermonis enim egestate partim, partim loquentium socordia, et vitio sæpe perplexum aliquod in conventionibus occurrat, quod paciscentes callida interpretatione ad fidem datam eludendam convertant. Ne igitur conventa fere omnia inania fiant, juridica quædam interpretatio statuenda, cujus regulæ a contrahentium officiis, et a recta ratione petitæ a nemine, sine perfidiæ nota, inficiari possint.

§. 206. Regula I. *Interpretatio, quæ manifestum absurdum, aut actus nullitatem induceret, admittenda non est.* –

Homines enim ratione præditos, quales contrahentes esse debent (§. 141.), fru-

stra quidquam agere voluisse præsumendum non est.

§. 207. Regula II. *Verba ex usu vulgari interpretanda, nisi aliud sensisse contrahentes evidentissime constet.* –

Cum sermonis finis interiorum sensuum communicatio sit, et mentem suam paciscentes sine fraude aperire debeant (§. 140.), eo loquentis cura intendenda electione verborum, quæ voluntatem suam aptius exprimant ex communi usu, *quem penes*, ut vere Horatius cœcinit, *arbitrium est*, *et jus*, *et norma loquendi*. Si quid igitur progressu temporis de prisca vocum significatione mutatum sit, communis usus, qui tempore contractus fuerit, inquirendus. Ad hoc, cum artium fere omnium commune sit quædam technica vocabula habere, et hæc, si ab artis peritis adhibita, proprietate sua explicanda sunt. Si tamen manifestæ sint conjecturæ, quibus a populari significatione recedi oporteat, quid senserint contrahentes sequendum est; quando verba ob ideas,

quas notant, non contra ideas ob verba sectamur.

§. 208. Regula III. *In ambigua voce pacti, vel legis, ea seligenda interpretatio quæ materiæ, de qua agitur, aptius respondeat.* -

Ad res enim, de quibus agimus, patefaciendas verbis utimur: si hæc igitur plures significationes habeant (quod in ambiguis contingit), illa seligenda ex loquentis consilio quæ propius rem ejus animo primum observatam, materiam nempe, de qua res est, attingat. Ex hac regula abunde profligatæ cavillationes, seu facti, dictique interpretationes a subjecta materia alienæ, quæ interpretis inscitiam, et sæpius malam fidem arguunt.

§. 209. Regula IV. *Verba subobscura uno loco prolata ab aliis, quæ altero loco de eadem re clara, et manifesta adhibita sunt, interpretanda.*-

Ut enim quid rei, quam dicit, nomine intelligat semel loquens diserte expresserit: ubi eadem res perplexa voce alias in-

dicata sit, hæc ex loquentis idea (§. 207.) semel explicata interpretanda est. Non igitur ex una particula conventionis, aut legis, sed ex toto verborum complexu contrahentium, vel legumlatoris voluntas eruenda est (1).

§. 210. Regula V. *Ubi ratio pacti, vel legis pateat, in ambiguis semper ea sumenda interpretatio, quæ cum ratione illa consentiat.*–

Ratio enim actus agentis finem exhibet, nec quisquam contra finem, quem agendo intendit, velle præsumitur. Verborum itaque significatio modo amplianda, modo arctanda est, ut propositæ voluntati respondeat. Hinc extensivæ, et restrictivæ interpretationis vis petenda (confer tamen §. 35.): hinc illa Jurisconsulti vox - *In fraudem legis facit, qui, salvis verbis legis, sententiam ejus circumvenit* (2): quæ, et ad contractus pertinet.

(1) Vide *L. Incivile ff. De Leg.*

(2) *Leg.* 28. *ff. De Leg.*

§. 211. Regula VI. *In collisione pactorum, quæ cum diversis inita sint, priora posterioribus præferenda* -

Regula. VII. *Si inter easdem personas pluries conventum sit, in collisione conventorum novissima prioribus anteferenda.*-

Nam prima hypothesi moralis facultas non est novum pactum ineundi quod antiquius solvat; et ideo quidquid postea cum aliis actum fuerit, semper in eo collisionis exceptio intelligi debuit: altera vero, cum libera consilii mutandi potestas paciscentibus sit (§. 203.), postrema voluntas sequenda est.

§. 112. Regula VIII. *Si ambiguitas pacti tolli nulla ratione possit, contra eum, cujus in potestate erat rem apertius dicere, sumenda interpretatio est.*-

Nam, cum unusquisque quod sibi magis utile sit per pactum quæsivisse præsumatur, ubi rem ad liquidum perducere non datur, ratio ejus vincat oportet, qui se ab altero ambiguo sermone deceptum contra paciscentis officium dicere possit.

Et hæc de *Interpretatione* pro re nostra delibasse sufficiat.



CAPUT XV.

De Sociali naturæ Jure.

§. 313. Hactenus homines, veluti humana individua, nullo alio vinculo, præter communem naturam, inter se devincta consideravimus; et ex connato hominis cum aliis sociabilitatis statu (§. 14.) *privatum* naturæ jus (§. 18.) exposuimus: quo nempe homo, qua homo est, regeretur. Sed, ut supra monuimus (§. 13.), humanum genus una primigenia sociabilitate conjunctum considerandum non est. Profecto lata nimis humanæ naturæ contemplatio erit, si naturæ ipsius ortus, et progressio ad finem suum in obscuro sint. Et hæc igitur in homine spectanda, ut perfectum humanitatis systema habeatur.

§. 314. Jamvero, si primos parentes excipias, quos animo et corpore jam absolutos naturæ Auctorem primum condidisse:

dein conjugali fœdere junxisse didicimus ex divina Historia (1): videas homines cunctos infirmos, rudes ex consociatione aliqua oriri, inque ea degere, ibique corporis, animique dotes servare, augere, perficere. Adultos dein eosdem cernas aspectabilium horum bonorum specie adeo versatos, ut fere unicuique optabile aliquod occurrat, quo consecuto, se ad felicitatem, ad quam fertur natura, properasse existimet: ex hoc, alium alios, quorum animis idem votum insederit, sibi socios adsciscere, ut sententiis, viribusque communicatis bonum, quo rapitur, attingat. Solerti igitur naturæ contemplatori humana individua non minus, quam nonnullæ societates, hoc est, ut alias definivimus (§.° 15.), - *plurium conjunctiones ad eumdem finem communibus viribus obtinendum institutæ* -, in hominum vita occurrant oportet; quæ, licet ex aliqua indigentia omnes, non tamen eadem necessitate et causa proficiscuntur.

---

(1) Gen. Cap. II.

§. 215. Consociationes, quibus humanum genus ad sui conservationem et perfectionem in universum carere non potest, *naturales*, et necessarias, hoc est, humanæ naturæ certa determinatione convenientes, vel proprie *sociales status* dicimus. (1) Quæ vero ad finem pro hominum ingeniis, institutisque varium: peculiare, puta, lucrum, humanumque inventum conjunctiones institutæ, quales artificum, puta, mercatorumque congregationes sunt: *arbitrarias*, *pactitias* societates vocamus. Arbitrariæ societates, cum ex libera causa susceptæ sint, a sociorum placitis recte moderantur; atque inde earum jus ex iis, quæ de pactis, et rectæ interpretationis regulis supra diximus (Capp. X. XIV.), cognoscen-

---

(1) Vocabulo necessarii deinceps abstinebimus, ne quis temere confundat naturales societates, et in humanitate necessarias cum *legali* et *necessaria* societate: quæ nempe ex divina lege singulis, quocumque vitæ statu reperiantur, ad æternam salutem assequendam necessaria est, societas ordinis supernaturalis, universalis; de qua disserere nostrum non est, qui homines, et societates intra naturæ fines spectamus;

dum est. At multo aliter sese res habet in naturalibus societatibus; hæ siquidem, cum ad naturalem obligationem implendam institutæ sint ab ipso naturæ Auctore, qui homines ita condidit, ut his omnino remotis, humanum genus nec servari, nec perfici posset, constantes quasdam notas morales, fini nempe respondentes, habeant oportet, quæ a sociorum pactis adeo non pendeant, ut contra pacta quælibet his adversa respuant. Ex æternis enim socialis status ad certum finem a naturæ Conditore statuti determinationibus morale verum illud, universale naturalis legis fundamentum (§. 39.), inter socios derivatur, quod ab hominum voluntate certe non pendet (§. 40.).

§. 216. Reque vera si naturalibus societatibus constantes notæ impositæ, certæ etiam sociorum relationes inde profluent; et quando plures homines in societate sunt, qui in unum conspirare debent, certus etiam relationum ordo inter socios natura existat necesse est. Si quid igitur humani facti in naturalibus societatibus occurrat, hoc vel ad in-

cundam societatem, vel ad socialium relationum subjectum investigandum, determinandumque aliquando spectari poterit; nunquam vero ad socialem ordinem constituendum, qui ex ipso societatis statu necessario descendit.

§. 217. Ex his satis compertum, sociale naturæ jus, quod naturales societates respicit (arbitrariæ enim consociationes jus a pactis diversum non habent §. 215.), e contemplatione socialis status derivandum esse. Hinc socialis juris cognoscendi principium habetur. Si enim socialis status hic certum in finem ab Auctore naturæ dispositus est, statim recta ratio inde universalem socialis juris regulam elicit: - *Societatis statui convenienter vivito* - : a qua omnia sociorum officia et jura deducuntur. Neque hoc cognoscendi principium ab universali, quod supra positum est (§. 39.), dissentit, sed illud idem est ad peculiarem hominis statum accommodatum. Age itaque socialis status naturam evolvamus.

§. 218. Morales societatis determinationes a fine ipsius petendæ sunt. Finis enim est id ad quod adipiscendum naturæ Artifex esse societates voluit: quodque certis relationibus socios ita devincit, ut ex pluribus individuis, una tamen persona moralis (§. 10.) existat. Inde etiam societas perfecta, aut salva dicitur: quæ nempe fine, ad quem instituta, potitur *perfecta*, quæ ab eo consequendo non impeditur, *salva* societas vocatur. Quam ob rem inter necessarias socialis status notas habendum est id sine quo societas naturæ suæ convenienter propositum ad finem pergere non possit.

§. 219. Sed quicumque societatis finis sit, hunc obtinere non datur, si unicuique ex sociis de ratione illuc perveniendi libera judicandi, et agendi potestas relinquatur. Plures enim moribus, cogitationibus varii in unum nunquam consentiant; atque ita juribus, sententiis, viribusque inter se pugnantibus commune propositum attingere nefas. At naturæ lex societatis finem impleri imperat (§. 215.). Eadem natura i-

gitur, ne sibi contradicat (quod absurdum) his statibus, quos ipsa certam ob causam esse jussit, vim quamdam constituat oportet, quæ de communi re prospicere, et illuc sociales vires impellere valeat. Hanc rursus ipsa societatis natura flagitat, quæ tota est in conjunctione socialium virium in eumdem finem; unde persona moralis oritur, cui actio naturæ suæ conveniens, hoc est, socialis respondere debet, quæ frustra expetitur ubi socii communem agendi normam non habeant. Vis hæc quæ unum morale in societate servat, *Imperium* dicitur, - *potestas* scilicet, *aliorum actiones in certum finem convenienti auctoritate dirigendi*. -

§. 220. Imperium igitur quo naturales societates præscriptum ad finem tutæ progrediuntur humanum inventum non est, sed necessaria socialis status nota. Jamvero naturalium societatum notæ ab ipso naturæ Conditore, ut moralis veri fundamenta essent, constitutæ sunt (§. 215.). Imperium igitur, quo proxime naturalis societas regitur, a Deo, ceu Auctore naturæ, est. Huc illud Tullii

spectat (1) - *Nihil porro tam aptum ad jus, conditionemque naturæ, quam imperium, sine quo, nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.* - Huc longe gravius Apostoli effatum (2) referendum - *Non est potestas, nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt.* -

§. 221. At imperium hoc sociali fini obtinendo ineptum, immo nullum plane futurum, ni subjecto cuidam constanter inhæreat, a quo in sociale propositum dirigi possit. Sane *societas*, *imperium*, veluti entia rationis tantum consideranda non sunt. Abstracta enim extra mentis conceptum, quem mirum in modum adjuvant, perficiunt, non sunt: nec ulla eorum actio in physicum hominis statum esse potest. Uti igitur humana societas sine hominibus con-

---

(1) *De Legibus lib. III.*
(2) *Rom. XIII. 1.*

sociatis natura non est, ita sociale imperium cum cogitamus natura nil aliud indicamus, quam subjectum aliquod potestate præditum sociorum actiones in certum finem dirigendi. Qua de re in naturali societate imperii aliquod subjectum esse debet; eo enim remoto, imperium illud, quo societas continetur, nullum est. Unde etiam intelligitur, ea omnia, quæ de imperii natura sunt, et subjecto, per quod illud in hominum vita apparet, ascribenda esse.

§. 222. Subjectum igitur imperii socialis et *certum*, et *sanctum* in societate noscendum, quod nempe a sociorum vi naturali quadam sanctione munitum sit. Nullum enim sociale imperium, quod vel certe constitutum non appareat, vel a subjectorum judicio, et coercitionibus pendeat. Jamvero subjectum tale imperii modo natura ipsa aperte designat, modo ea hominibus determinandum relinquit; semper tamen determinatum esse jubet. Secunda hypothesi, simul ac legitimum factum aliquod positum sit,

ex quo imperii subjectum vere determinatum inter homines dici possit, subjectum hoc velut a natura ipsa constitutum accipiendum est: quod nempe ex naturali causa in societate extiterit, et sociali statui, imperiique naturæ convenienter ibi permaneat.

§. 223. Hæc socialis status *constitutionem* exhibent: qua perspecta, facillimum est socialis vitæ officia deducere. Nam, si universalis socialis juris regula est - *societatis statui convenienter vivito* - (§. 217.), statim quisque intelligit generale in societate officium esse *socialis ordinis custodiam*: qui ordo in eo consistit, ut quisque juxta essendi modum, quem in societate obtinet, et inde manantes relationes constanter agat. Essendi modi pro sociorum numero plures in societate esse possunt; finis enim socialis diversis motibus, et actionibus, ut in machina usuvenit, sæpe curandus est. Unde variæ manant conditiones sociorum, qui idem quidem, at diversis studiis curant; quibus omnibus e peculiari statu suo *specialia* officia in-

cumbunt (§§. 17. 18.) (1). Generatim, in societate naturali esse debent qui imperant, et qui obediant; imperium enim socialis status nota est (§. 220). Præterea esse possunt plures, qui eidem sociali imperio æque subjecti sint. Hinc sociale jus omne bifariam commode dividitur. Quod officia inter imperantes, et subditos respicit, *Rectorium*: quod officia æqualium in societate moderatur, *Æquatorium* sociale jus appellamus. Proxima rectorii juris norma relate ad imperantes, *sociale bonum*, seu societatis finis est, unde

---

(1) Elegantissima sane de socialis corporis harmonia Mænenii Agrippæ fabella est, qua fertur - *tempore, quo in homine non ut nunc omnia in unum consentirent, sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo fuerit, indignatas reliquas partes sua cura, suo labore, ac ministerio ventri omnia quaeri, ventrem in medio quietum nihil aliud, quam datis voluptatibus frui: conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent: hac ira dum ventrem fame domare vellent ipsa una membra, totumque corpus ad extremam tabem venisse; inde apparuisse ventris quoque haud segne ministerium esse: nec magis ali, quam alere eum reddentem in omnis corporis partes hunc, quo vivimus, vigemusque, divisum pariter in venas maturum confecto cibo sanguinem* - Livius II.

imperium manavit (§. 219.) : cujus exercitium *socialem politiam* vocamus ; relate ad subditos *legitimi imperii observatio* est: quæ et a sociali ordine , et ab imperandi jure recta dimanat . Objectum autem rectorii juris unum est sociale bonum . In ceteris itaque quæ communem causam non respiciunt , salvo semper sociali statu , vel inter imperantes , et subditos universali naturæ jure officia moderanda sunt .

§. 224. Æquatorium autem sociale jus, quod societatis partem revera respicit (completa enim societas, sine aliquo imperio , divino saltem , non est , licet eam societatem æqualem appellare soleant) (1) , idem est ac privatum naturæ jus sociali consuetudine confirmatum , et pro violenta uniuscujusque juris sui executione communi humano imperio munitum . Ex quo socialis status præstantia elucet , quæ connata hominis jura communi vi contra injustos aggressores tuetur .

---

(1) Grotius *de I. B. et P. Lib. I. Cap. I.* §. *III. n.* 2.

§. 225. Socialis status theoria, quam hactenus expressimus, adeo certis fundamentis nititur, ut ejus consectaria nemini, qui socialia officia rite pertractaverit, non arriserint. Verum nonnullis placuit ab hypothesibus potius, quam a natura societatum naturalium jura et officia derivare. Hi nempe in natura individua tantum spectarunt, e quorum pactis, et abdicationibus societates, et his inhærentia humana imperia nata existimarunt. At si solertius humanitatis systema excussissent, sepositis pactitiis et arbitrariis consociationibus, uti humana individua, ita sociales quosdam status in natura detexissent; atque ideo, uti ex analysi naturæ humanæ *privatum naturæ jus*, ita ex constitutione socialis status *sociale naturæ jus* in hunc modum forte derivassent.

I. Naturales societates, quas nos sociales status dicimus, ut a pactitiis consociationibus secernamus (§. 215.), certis notis, et relationibus a mente divina ad suum finem statutis necessario constant.

II. Ex naturali hoc relationum ordine, non ex hominum pactis, jura et officia sociorum, non secus ac cetera moralis veri judicia, derivanda sunt (§§. 216. 223.).

III. Si quid igitur humani facti in societatibus naturalibus occurrat, hoc vel ad socialem statum suscipiendum, vel ad naturalium relationum subjectum determinandum, ubi id a natura certo determinatum non sit, spectet (§. 216.), nunquam vero ad imperii productionem, quod non homines, sed ipse naturæ artifex Deus sociali statui imposuit (§. 220.).



CAPUT XVI.

De Societate Conjugali.

§. 226. Naturalium societatum vetustissimam jure dixeris *Conjugalem*, seu *Matrimonium*, qua nempe mas, et femina sobolis suscipiendæ, et educandæ causa conjunguntur. Socialis status hic non ex impetu, quo in venerem post Protoplastæ lapsum plerumque ferimur, sed ex rectæ rationis regulis æstimandus. Nam ille animalis naturæ fines non egreditur, et ideo, nisi normæ abnoxius sit, furore suo universam humanam societatem, et naturæ constitutionem, vi rixisque evertet; ratio vero divini Legislatoris voluntatem exquirit, et inde hominum officia determinat (Confer §. 59.).

§. 227. Jamvero princeps hujusmodi societatis finis in generis humani conservatione, et perfectione (1) elucet; huc enim

---

(1) Elegans est doctrina de perfectione naturæ, et de perfectione gratiæ, quam tradit S. Thomas *suppl.* 3. *P. Q.* 59.

generatio, et educatio spectant, quibus humanæ societati nova, et idonea membra sufficiuntur. Post hæc et mutua auxilia ex arctissima societate proventura, et conjunctionis appetitus medela hominis dignitati conveniens considerari possunt. Illa naturæ lege generatim saltem præcepta (§§. 41. 79.): hæc humanæ naturæ indigentiæ, molestiæque deneganda non sunt. Quidquid igitur in hominibus ad generis sui propagationem natura comparatum est his finibus, quos summus Conditor conjugio præposuit, concludatur oportet.

§. 228. Ex his satis liquet impura voluptatis, et luxuriæ genera omnia, quibus una corporis delectatio more ferarum proposita est, naturali lege prohiberi, quando intelligentis naturæ ordini (§. 39.) contraria, a quo ut plus recedant, plus pravitatis, et nequitiæ habeant. His sine dubio

---

art. 2. *in c.* Nos, instituto nostro convenienter, primam non alteram hic et alibi intelligimus, quoties perfectionis voce utimur.

vulgivaga venus accensenda, quæ ex animali impetu proficiscitur, procreationi plerumque officit, et susceptæ prolis institutioni patris incertitudine plane adversa est: quod et Ethnici noverunt, cum inter prima humanæ vitæ, agrestis antea, et ferinæ, ut fingebant, rudimenta habuere

Concubitu prohibere vago, dare jura maritis.

Horatius *Poet. v.* 398. *Nec concubinatus* consuetudo probanda est; cum prolis bonum nec propositum habeat, nec curare possit extra illam conjugalem societatem, quam parentum curis, officiisque in gravissima re communicandis, obeundisque natura ipsa constituit.

§. 229. Jam de conjugali vinculo quæstiones nonnullæ ex traditis notionibus definiendæ sunt. Prima est, an matrimonii ineundi necessitas omnibus incumbat? Obligationis fundamentum adstruitur humani generis conservatio, quæ naturæ lege præcipitur. Sed primum, affirmativa obligatio vires, tem-

pus, opportunitatem debentis exposcit, ut vim suam exerat (§. 28.). Ad hoc, et qui ad conjugale fœdus ineundum apti videntur sinendi sunt, ut maritalibus, et domesticis curis soluti communem felicitatem vitæ sanctimonia, et præstantioribus officiis promoveant, cum alii sint qui generis sui propagationi studeant. Quin immo ipsa humanæ societatis perfectio, quæ et conservationem continet, postulat, ut homines inter se diversa vitæ instituta sectentur, ut inde complexio illa bonorum emergat, unde humana felicitas constat: cui quidem rei naturæ Artifex apprime consuluit, qui varia ingenia hominibus partitus est, ne quid humanæ societati necessarium, aut utile cultore suo careret; ut constanti experientia didicimus. Unde concludendum est necessitatem conjugalis societatis suscipiendæ universitatem, non singulos afficere.

§. 230. Altera quæstio est, an conjugalis societas perpetua sit natura? Profecto, diuturnam conjugum vitæ consuetudinem ad generationis, edueationisque munus recte e-

xercendum necessariam esse omnes fere concedunt. At si officii præstantia, et sollicitudo, si naturales hominum affectiones intimius perpendantur, et illud exploratum erit, connubium semel rite contractum, et consummatum humanæ voluntatis arbitrio solvi amplius non posse. Gravia, mehercle, nutritionis, educationisque onera, sive natorum infantiam, sive pueritiam respicias, quibus ferendis sui fere parentes oblivisci debent, ut his, quos genuerint, consulant. Quis vero hæc tanta ferat, nisi mutua conjugis benevolentia, cura, et sincera animi affectio partem laboris vicissim levet et redimat? Nulla autem vera inter conjuges amicitia excogitari potest, nisi animus sit parem vitæ fortunam perpetuo experiri, et maritalem affectum nunquam in alios, dum vita utrisque suppetat, transferre. At si ea socialis status vis sit, ut inde conjux certitudinem habeat in familiæ sinu, quam ex suo sanguine procreavit, et aluit, extremum vitæ spiritum ducendi, ecquis non videat conjugum studia mutua caritate, et ope

per integram vitam sociata in liberos, domum, ut in commune bonum, vitæque præsidium impensissima futura? Quæ rationes partim e socialis status fine, partim e communi hominum natura derivatæ satis ostendunt consummati conjugii solutionem, divino privilegio seposito (1), naturali legi non convenire.

§. 231. Nec obiiciendum peculiari aliquo casu, puta, in sterilitate, morum aversione, connubii solutionem, et ipsis conjugibus, et aliis commode contingere posse. Sat enim esse debet demonstrasse temporariam consuetudinem universe sociali hujusmodi statui non convenire, ut naturalis legis præceptum habeatur, quæ non quod uni, aut alteri aliquando præter morem utilius esse possit, sed probam humanæ naturæ constitutionem communi rerum ordini consentaneam (§. 39.) respicit; cui proinde

(1) Ita de infidelium coniugio, quod solvi aliquando posse patet ex Apostolo *Corinth. VII.* 15. loquitur Benedictus XIV *De Synod. Diaeces. lib. VI. Cap. IV. n.* 3.

singulare incommodum tribuendum est. Et sane universæ hominum societati expedit aliquid ingrati rariori quodam casu paucos ferre, quam invecta semel divertendi libertate præstantissimam societatem in naturæ officium institutam precariam reddere.

§. 232. Tertia succedit quæstio, an conjugalis societas inter plures, quam duos diversi sexus personas (quæ *Monogamia* dicitur), eodem tempore consistere possit? Si una femina pluribus viris conjuncta sit, *Polyandria*; si contra unus vir pluribus uxoribus devinctus *Polygamia* vocatur. Prima ambiguitate quavis remota, naturali juri universo repugnat. Ea enim, et procreatio plerumque impeditur, et educatio intercipitur patris incertitudine; cujus tamen præcipuæ partes in liberorum institutione esse debent: mutuum solatium uxoris curis divisis abscissum: verbo, animalis appetitus unus contra socialis status fines (§. 227.) intentus. Polygamia quidem necessario sobolis bono adversa non est; nam ex ea proles certa utrinque habetur; et parentum

consortium manet, quo suscepti liberi informari possunt. Multa sed, et gravissima, polygamiæ insunt incommoda, quæ una divina vi tolli posse videntur. Nam conjugalis amor tot abstractus uxoribus, vel friget in omnes, vel in unam modo delabitur: hinc aliæ vana lubidine incensæ invidia in dilectæ natos rapiuntur, eisque damna moliri non desinunt: atque ita crebris odiis, rixisque familia exasperata prolis bonum, ut plurimum, curare non potest. Mala hæc ex communi hominum conditione pertimescenda sunt, sed summus naturæ Artifex ea prohibere potest, ubi necessaria actus malitia non est, ut vidimus. Ex quibus dicendum polygamiam, si non primario, secundario certe naturali jure, ut vocant, vetitam esse, nisi divina dispensatio sit, qua veterum Patriarcharum honestas tuenda est (1).

§. 233. Si conjugium naturalis societas est, imperio carere non potest (§. 220.); at

---

(1) Confer Benedictum XIV De Synodo Diæcesana *Lib. XIII. Cap.* 21. §. 9.

penes quem imperandi jus erit? Convenit sane penes eum esse, qui societatis proposito rectius consulere valeat; non tamen ex una aptitudine jura in alios vindicanda sunt; quando peculiares animi corporisve dotes humanam naturam non mutant (§. 76.): idque probe tenendum, nisi malimus hominum calliditate, et vi omnia misceri. At enim in societate *duorum* diversi sexus, quorum alterutri imperium necessario esse debet, idem societatis finis, qui sociorum relationes moderatur, imperii quoque subjectum ex divina concessione virum aperte designat, quem præstantia sexus, et prudentia majori commune votum melius implere posse naturalis præsumptio est. Imperium tamen hoc, ut cetera, naturales sociorum relationes servare, non destruere debet. Conjugium fœdus amoris est, et tenerrima utriusque conjugis pars liberi, quorum bonum curandum est. Maritale igitur imperium lene, et in mutua benevolentia positum sit oportet, non ut in ancillam, sed ut in vitæ sociam mi-

noris consilii quæ in communi cura dirigenda est.

§. 234. Hæ naturales socialis hujusmodi status notæ, et relationes, quæ a sociorum pactis non pendent, immo nec aliter ab eisdem componi possunt, quando eorum non est moralis veri rationes refingere (§. 225. I.). Humanum factum tamen considerandum est, quo homines sociali statui sese libere addicunt (§§. 225. III. 229.). Pacti genus hoc exhibet, quo conjugalis societas vere inita videatur, non quo sociorum jura, et officia invehantur; hæc enim ex naturali socialium relationum ordine necessario descendunt (§. 225. II.), et per pacta mutari non possunt. Quo igitur socialis status hic rite susceptus dici possit, quæ de paciscentium consensu, materia pacti, contrahentis jure alibi diximus (§. 139. et seqq.), hic pro rei conditione recolenda: unde aliqua matrimonii impedimenta dirimentia, ut vocant, ex *rationis defectu*, *errore*, *impotentia cœundi*, *antiquiori vinculo conjugali*, *vel sanctiori*, *quod cum conju-*

gali componi non possit, *metu et vi*, aliisque petita deducenda sunt: de quibus Pontificii Juris Interpretes late disserunt. Quo vero conjugale fœdus probe semel electum, et consummatum *mutuo dissensu*, *perfidia* alterius partis solvatur, nec præsumpta (§. 203.), nec expressa contrahentium conditione effici potest, quando insolubilitas naturalis matrimonii nota demonstrata est (§§. 230. 231.).

§. 235. Unum videndum quid juris statuendum sit natura de nuptiis in cognatione contractis. Si nuptias in recta linea susceptas universe respicias, haud ægre intelligas his perverti illas relationes imperii, subjectionis, purique amoris, quas natura ad necessarium institutionis finem inter parentes, et genitos adstruxit, et ingenuo quodam pudoris sensu munivit, a quo recedere nefario conjugio impium dixeris. Ita et Lucano visum qui de nuptiis hujusmodi cœcinit- . . . *Cui fas implere parentem Quid rear esse nefas?* (Pharsal. VIII. v. 409.) Quinam, sane, filialis amor, et reverentia

cum uxoria: quinam patris, vel avi cura filiam, neptemve vita et sermone ad virtutem impellendi cum maritali familiaritate consistere potest?

§. 236. Nuptias inter fratres, et sorores quod attinet, eas, nisi extrema necessitas urgeat, quæ puta mundi primordiis fuit, secundario naturæ jure (§. 232.) vetitas esse dicendum est. Nam ipse naturæ sensus ab hujusmodi conjunctionibus quammaxime abhorret, quum fere nemo sororis suæ, formosissimæ licet, complexus appetat. Nec recto familiæ statui, unde perfectio humani generis promovenda, consonum est, domesticos amores conjugii spe excitari, qui arctissima vitæ consuetudine juvati domus sanctitatem, honestatemque pessumdent. Quo respexisse videtur Tullius cum has conjunctiones *nefarium stuprum* appellavit (1).

§. 237. In aliis cognationis gradibus aperta naturæ lex non adest, quæ nuptias

---

(1) De Divinatione *Lib. I.*

consistere prohibeat. Ceterum matrimonia hæc minus decora pro arctiori cognationis vinculo apparent, cum ex ea familiaritate, quæ inter sanguine junctos esse solet, stupri periculum ingerant, et hominum amicitiam latius diffundi non sinant, novis cognationibus, quæ ex extraneorum connubiis oriuntur, quibus humanum genus societati accline natura magis magisque inter se devincitur.

§. 238. Officia conjugum e socialis status fine derivata *promiscua* habenda, mutuum obsequium ad generationis actus, fides intemerata, constans amor, lœtorum tristiumque consortium. E naturali vero societatis constitutione et politia (§. 223.) *propria mariti* sunt, uxoris defensio, directio in re sociali, familiæ status conservatio: *uxoris* contra, mariti voluntatem vereri: ejus animum sibi devincire, otii fuga et domestica cura. Quibus furtivi conjugum amores, et maxime adulteria adversantur. His enim conjugii fides sanctissima temeratur impure, alienaque proles alteri alenda

obtruditur : conjugum animi, quos bonum soboli conspirantes esse decet, tristissime avertuntur : et injecta semel adulterinæ stirpis suspicione liberorum institutio universe despicitur.



CAPUT XVII.

De Societate Paterna.

§. 228. Si et servari, et perfici homines natura jubet, media etiam constituat oportet, quibus remotis, homo nec vivere, nec adolescere, nec eximias facultates suas, quibus a belluis distinguitur, excolere, atque ita nec naturæ suæ complementum nancisci valeat. Sed homines, ut Minervam a Jovis cerebro natam fabulæ fingunt, adulti non nascuntur; immo nisi aliorum cura præsto sit, qua vitæ necessitatibus, intellectus conformationi occurratur, vix in lucem editi morti tradentur; vel si tantum nutritione aliquantulum, donec vires sint cibum ex se comparandi serventur, parum a brutis distabunt; quibus infeliciores nativa imbecillitate miseria denique intereant necesse est. Summa igitur naturæ lex est infantium educatio, unde genus humanum stat, et perfi-

citur. Educatio autem nulla sine imperio, quo consilii expers ætas aliena prudentia servanda, et ad naturalem justitiam informanda est. Cui igitur educationis onus impositum, ei quoque imperium, quo obligationi suæ satisfaciat, natura tributum est.

§. 240. Ex necessaria hujusmodi causa naturalis illa societas est inter eos, qui ad perfectam humanitatem et rationem perducendi, et eos, qui de humana institutione curam habent, cujus vis eadem in omnibus ex eadem necessitate deprehenditur. Ita si quis pueros recens natos expositos inveniat, et nutriendos, servandosque ex universalis benevolentiæ legibus secumferat, naturali imperio in hos, quousque ad rationem pervenerint, potietur. Nam ubi ratio boni, malique judicio in homine perfecta, beneficii memoria nunquam; alienum imperium tamen expleta obligatione cum inde orta societate evanescet.

§. 241. Sed res tanta incertæ aliorum commiserationi relicta non fuit. Divini Conditoris cura longius progressa est, nec satis

ei fuit perfectam obligationem parentibus ex conjugali societate injungere, quo hi susceptos liberos servarent, et perficerent; sed illis quidem tenerrimos amoris sensus indidit, quibus molestiam nullam refugerent, modo natis suis consulerent: hos vero primum cæca quadam propensione; dein, ratione exculta, reverentia, grato animo, studioque in parentes suos affecit, quibus eorum curas aliqua ratione redimerent. Qua de re liberorum procreatione, uti antiqua societas inter conjuges magis confirmata, ita nova ab eodem supremo Artifice parentes inter, et genitos educationis causa statim instituta, quæ *Paterna* vocatur, et Familia inchoata ex binis societatibus naturalibus simul contractis (§. 16.), cui totius domus servatio, et perfectio proposita est. Familiæ jus sequenti capite aperiemus: nunc paternæ societatis natura explicanda est.

§. 242. Homines itaque parentum imperio obnoxii nascuntur, quando naturali eorum societati addicti. Recta liberorum edu-

catio, et institutio princeps societatis hujusmodi finis, unde universæ etiam familiæ felicitas speranda. Sed in his omnibus curandis jam patri, præ matre, præcipuæ partes natura in conjugio tributæ (§. 233.). Imperium igitur, quod e socialis status fine est (§§. 220. 233.), maxime paternum erit, quo et matris cura dirigenda est, uti vidimus; sed et huic sua potestas pro educationis onere, et natura negocii ad mulierem potius, quam ad virum pertinentis, tribuenda. Liberi autem utrique parenti obnoxii, ubi præceptorum collisio non sit; tunc enim potiori imperio servanda societas est.

§. 243. Politia societatis ejus fini respondens patrio *imperio* procuranda, quod ut munere suo fungatur, filiorum vitam sedulo inspicere, actiones præceptis moderari, et coercitionibus jussa sua munire debeat: his enim remotis natorum bonum curari non potest. At vitæ, necisque jus e patria potestate non est, quæ proxime in sobolis conservationem, et institutionem natura conceditur (§. 242.). Familiæ autem propositum la-

tius patet (§. 241.), et inde eminentiora Patrisfamilias jura deducere fas est, uti mox videbimus.

§. 244. Interea illud quæsitum, an patrium imperium in alios transferri possit? Et si natorum bonum id postulet, quin id liceat, ambigendum non est. Hinc morituro parenti potestas facta natura filiorum, quos nullo, aut nondum perfecto rationis judicio firmatos relinquat, educationem, et curam alteri committere: atque ita in horum Tutores seu tuitores, et Curatores e patria potestate tantum translatum, quantum suscepti muneris necessitas flagitet. Hi tamen non suam, sed alienam rem tractant patris judicio, quo natorum utilitas una tutorum constitutione spectata est: quare, officio soluto, ad ratiocinia vocandi, et si damnum pro commodo, negligentia, et multo magis si dolo, pupillis, minoribusque intulerint, hoc sarcire debent. Præterea et qui fortunæ angustia, vel animi corporisque imbecillitate filios suos probe instituere impediuntur, recte hos aliis informandos tradunt, ut per-

fectæ obligationi suæ satisfaciant. Hinc parentum vices in re summi momenti subeunt magistri, in quos aliqua paterni imperii pars cum sanctissimo docendi munere necessario transfertur.

§. 245. Paternæ societatis constitutione ita detecta, pronum jam est (§. 223.) distincta sociorum officia derivare. Parentum itaque officium erit physicæ natorum perfectioni juxta naturæ cursum prius consulere. Hinc matris officium, ubera, quæ lacte in prolis nutritionem natura ipsa post partum distendit, filiis materna caritate admovere, nisi aliter prolis ipsius utilitas flagitet. Ad hoc, corporis robori cura impendenda ea procuratione, quæ bonam ejus valetudinem afferre apta sit. Ex his facile immane facinus parentum, si hoc nomine decorandi sunt, sese prodit, qui vel fœtus malis artibus abigunt, vel natos necant, aut sanguinolentos exponunt: quæ præter injuriæ rationem in hominem, singularem pravitatem ex sociali statu referunt.

§. 246. Altera, et gravissima succedit cura filiorum mentem veri cognitione imbuere, moresque ad honestatem componere: tum industriam aliquam eos docere, cui magis apti videantur, unde vitæ præsidia sibi comparare aliquando licite valeant. Quare si parentes per se hæc præstare nequeant, cum facultas eisdem suppetat, debent filios suos aliis erudiendos concredere, ita tamen ut parentum officium semper maneat inspiciendi, an liberi proposita in disciplina proficiant, vel magistrorum vitio, aut suo, inutiles annos terant: quod cordate observavit Plutarchus Commentario *de liberis educandis*: qui consulendus.

§. 247. Postremo, quando humanæ felicitati quædam bonorum copia necessaria est (§. 105.), et hanc sibi consulto parare per ætatem, judiciique imperfectionem filiis sæpe non licet, parentum officium sequitur natorum consensum, et judicium in acquirendo rerum, quæ his quacumque ratione obvenerint, dominio, pro diversa eorum ætate, supplere, aut juvare, et quæsitam fortunam ho-

neste amplificare. Bona hæc autem utique filiorum propria erunt: at dum hi paterna familia contineantur, eorum usufructu parentes potientur, quos familiæ universæ sustentandæ onus premit. Paterna vero societate presse accepta, justum parentes gravissimas educationis impensas e re, vel opera filiorum, si quæ sit, levare: necessarium, liberos pleno rerum dominio prohibere, ne fortunis propriis insolentiores facti patrium imperium, quo institutio continetur, despiciant. His principiis nostra sententia expendenda naturali jure quæ Romanorum legibus de filiorumfamilias peculiis tradita sunt (1).

§. 248. Filiorum officia sunt, parentes honorare, eorum dicto audire, et obsequi in iis omnibus, quæ cum divina lege non pugnent: nihil grave sine eorum consilio in vita suscipere: eis auxilio esse: maxime ubi senio, aliave necessitate ope nostra indigeant: eorum defectus, morositatem patienter ferre:

---

(1) *Inst. Lib. II. T. 9.*

et grati animi sensum erga physicæ, moralisque vitæ suæ post Deum auctores nunquam exuere.

§. 249. De paterni imperii solutione districte statuit Lampredius - *Statim ac liberi ad moralem pervenerint pubertatem, scilicet, cum naturalibus legibus actiones proprias conformare, et probe intelligunt, et possunt sine ope parentum, finitur patria potestas; eo enim tempore corruit omnino paterni imperii fundamentum* : - et paullo post: - *Uno verbo, si nulla patris ope indigeant nati, nulla est etiam patria potestas* (1) -. Puto hæc nec satis certo, nec satis humaniter pronunciata. Quærerem enim primo quid moralis pubertatis nomine auctor intelligat? Si a physica pubertate nomen ad moralia traducitur, compertum est, post pubertatem minorennitatis tempus superesse, quo etsi boni, malique judicia, adolescentiæ impetu sæpe quidem turbata, non desint; pru-

(1) *Jur. Publ. Univ. P.* 1. *Cap.* 17. §. 4.

dentia tamen, qua in rebus suis rite curandis opus est, desideratur. Sin contra moralis pubertas hic tempus perfecti judicii in omnibus designat; tunc quasdam actiones secernere oportebat, in quibus paternum imperium ante conticescit. Alterum vero explicandæ sententiæ causa additum acerbi quid habet, quod novæ societatis benefico naturæ ductu promotæ, familiæ scilicet, initio leniendum erat. Eja igitur, an aliquid rectius a natura ediscamus, experiamur.

§. 250. E proba liberorum educatione paterna societas (§. 242.): e societatis fine, qui educatio, paternum imperium est (§. 242.). Educatione igitur promota, aut expleta, imminuta, aut extincta patria potestas. Jamvero educatio suas habet partes, quæ convenienti imperio curandæ sunt. Est quæ physicæ, est quæ intellectuali, est quæ morali, est quæ œconomicæ perfectioni inservit (§. 245 ad 247.). Quisquis igitur his omnibus per se prospicere potest, naturali jure patria potestate solutus: qui plura, aut pauciora ex his expedire valet, mi-

nus, aut plus patrio imperio obnoxius est. Moralis perfectio a certo rationis judicio inchoatur; tunc enim homini boni, malique discrimina, finem quo tendat, et divinam legem noscere, eique actiones suas attemperare datum est. Ex hoc, nullum jam paternum imperium ad ea, quæ a divino obsequio liberos suos abducant. Ita illa sententia inter catholicos scriptores recepta, in iis quæ juris divini sunt, liberos suæ potestatis esse (1). Cumque moralis perfectio ab electione status pendeat quammaxime, de hac gravissima re ubi liberi judicium ferre natura non impediuntur, consilio quidem, adhortationibus a parentibus juvandi, imperio tamen cogendi non sunt. His ita sepositis, in ceteris paternum imperium manet quousque filii omnem humanæ vitæ cultum servare per se apti sint.

§. 251. At ubi necessitas sublata, naturalis dilectio, pietas, reverentia, benefi-

---

(1) Vide *S. Thomam P. 3. Q. 68. art. 10.*

ciorum memoria vigent, quæ parentes, et liberos, modo præstantius aliquod officium non obstet, nova societate, familiari scilicet, devincunt natura. Non enim parentum in liberos amor cum educatione, ut in belluis cum procreatorum cura extinguitur: quin immo et in eorum progeniem effunditur: et liberi, ni pravis cupiditatibus transversi agantur, quo plus ratione valent, plus etiam parentum caritatis, et beneficiorum vim sentiant necesse est. Sique ex utili, et honesto omnis fere in vita hominum congregatio ducitur, ecquis non videat ibi ad societatem procliviores homines futuros ubi experta auxilia, effusus amor, et grati animi vis alterum in alterius opem impellunt? Quamobrem illud naturæ convenienter statuendum videtur, paternum imperium educatione expleta in familiare converti, quo nonnisi justo excessu e patris domo filii solvantur; quamvis naturalia liberorum erga parentes officia supra exposita nunquam intereant. Justa autem a paterna familia discedendi causa est, quæ a Religione pro-

tendatur , cui nec patria potestas adversari debet (§. 250.). Justus pariter discessus filiæ, quæ rite alteri nupta mariti familiæ natura addicitur. At filiis, qui uxorem ducant, non ideo e familia paterna discedendi necessitas facta, nisi hoc susceptæ prolis utilitas flagitet, cujus conservatio et perfectio parentibus imposita est. Honestissima tandem e paterna domo discessio est , quæ bona cum parentum venia fiat , ut cum omnes una domo contineri nequeant , liberi in alias domos , et familias , tamquam in colonias transeunt : quæ sejunctæ licet , communem originem et matrem obsequio prosequi , diligere , et in tempore adjuvare debent (§. 248.).



CAPUT XVIII.

De Jure Familiæ.

§. 252. Sed jam Familiæ, cujus sæpe facta mentio est, naturam evolvere res flagitat; inde enim habebimus, quo familiaris imperii jura, et officia domestica universe derivemus. Familia itaque proprie *composita societas est, aliis, nempe, ex societatibus constans, domesticæ conservationis, et felicitatis causa natura primum inchoata, et hominum facto postea plerumqne aucta, et perfecta.* Sane conjugalem, paternamque societates natura ipsa liberorum procreatione copulat (§. 241.), atque ita familiam incipit. Dein liberorum connubiis nova paternæ familiæ incrementa succedunt. Postremo adlectione famulorum, vel servorum, qui domesticæ procurationi operam dent, completus ille cœtus plurium personarum tandem efficitur, qui ad naturalem finem suum melius, tutiusque progreditur.

§. 253. Hinc facile origo servitutis, vel perpetuæ, de qua tot varia philosophorum judicia, petenda videtur. Nec servos natura genuit, ut Aristoteles commentus est (1); paterno enim imperio detracto, quod in liberorum commodum primario adstructum natura, connatum hominis jus in primigenia sociabilitate libertatem didicimus (§. 76.): nec dirum victoris jus in hostis vitam, hujus perpetua servitute mutatum, mancipia effecit, quod Romanis placuit (2); nullum enim jus in alterius vitam est ubi contraria vis cessaverit (§. 94.), licet cautionis, indemnitatisque jura permaneant: quæ tamen aliter, quam obnoxia servitute curari possunt, uti suo loco videbimus: quibus principiis inhaerens Hobbesius, uti inexhaustus malorum fons error semper est, ex naturali illo suo belli omnium in omnes statu jus alios viribus deteriores occupandi, victosque in servitutem nobis subigendi ab-

---

(1) *Ethic. II.*
(2) *De Finibus V.*

surdissime deduxit (1): sed a libera adlectione in familiam, certis legibus, quæ sociali statui convenirent, absoluta servitus rite initio constitui potuit. Naturæ quippe contrarium nihil habeat factum ejus, qui ne cum egestate, et miseria conflictaretur, maluit perpetuas operas suas alteri cedere, et certum inde locum in ejus familia sibi quærere quo vitæ necessitatibus consuleret. Ita servi perpetui familiæ pars facti, et ideo domestico jure, pro conditione sua semel statuta, consequenter adstricti. Ceteri qui ad tempus alteri, mercede pacta, inserviunt, mercenarii appellati, ex locationis operarum contractu generatim æstimandi (§. 172.), nisi quod et hi excellentiorem domini conditionem vereri, et familiæ, qua reperiuntur, statum servare debeant.

§. 254. Domus conservatio et perfectio proprius familiæ finis (§. 252.) impletus erit, ubi e domestico cœtu unicuique ex

---

(1) De Cive *Lib. VIII.*

sociis haurire liceat quantum ad vitam commode ducendam necesse sit. Nutritio itaque, naturalium facultatum cultura, securitas illam perfectionem contineant, cui familia adstructa. Hinc familiare imperium exurgit, maxime politicum, quo nempe composita societas hæc, et perficienda, et ab interna externaque vi protegenda est. Imperium autem hoc Patri jam erat, vix familia a natura inchoata est (§. 242.); nec igitur ab eo discessit cum postea novæ ejusdem familiæ accessiones factæ sunt. Quare Patrisfamilias jus erit, præcepta pro recto familiæ statu in vulgus edere, quæ domesticorum disciplinam, labores, rerumque ad vitam necessariarum, vel utilium procurationem moderentur, promoveant: supplicia de sontibus sumere: externam vim ab aliis familiis illatam bello arcere: tandem pacta vel fœdera cum aliis familiis pangere, ut inde aliena auxilia contra injurias familiæ suæ comparet, vel intermissam cum inimica familia sociabilitatem, et internam quietem, rebus compositis, restituat. Quæ jura omnia ve-

teres familiarum Principes exercuisse sacræ literæ docent, et philosophi *Juris minorum gentium*, hoc est, familiarum, nomine appellarunt.

§. 255. Familiaris tamen status naturalium, quas continet, societatum fines non invertere, sed servare, et perficere debet; a natura enim determinatam ob causam positi sunt (§. 225. I.). Quare eadem, quæ supra statuta conjugalia (§. 238.), et paterna officia (§§. 245. ad 247.), et hic maneant: quibus universæ familiæ cura accedet, quam conjuges, et iidem familiæ moderatores bene inter se divident, si paterfamilias eminentiora jura quæ nuper descripsimus domesticæ felicitatis causa exerceat: materfamilias vero consilio, ope eum juvet, sedulamque operam navet, ut omnia ex præscripto in familia fiant, cujus internum regimen sexus verecundiæ conveniens uxorem maxime decet, quæ assidua familiarium legum custos domo præfecta est: quæ omnia scitissime describit Socrates apud Xenophontem in libro, qui *Oeconomicus* inscribitur

(1), ubi sic uxorem, et matremfamilias alloquitur - *Erit, inquam necesse ut domi maneas, ac emittere famulos, quibus foris est laborandum, quibus autem intus faciundum opus, eis præesse debes: et quæ inferuntur recipere. Præterea distribuendum erit quidquid eorum expendendum est: quæque superare debebunt, de his prospiciendum erit tibi, et cavendum, ne sumptus in annum reconditus uno mense absumatur. Quum lanæ in domum illatæ fuerint, adhibenda cura ut vestes illis parentur, quibus confici debent. Curandum item ut frumentum aridum idoneum ad vescendum fiat . . . Famulorum omnium cura tibi suscipienda erit, ut si quis ex his ægrotet, curetur.* -

§. 256. Filiorum officiis supra expositis (§. 248.) e familiari statu propria accedant, nempe, Patrisfamilias jussa divinæ legi non adversa prompte exequi, nec domesticam utilitatem a propria secernere.

---

(1) Mem. Socrat. *Lib. V. n.* 839.

§. 257. Eadem pro varia eorum conditione de perpetuis famulis dici possent, quibus domesticam rem curare generale officium est, quod domini eorum exhibitione, et conservatione compensant, ut per se patet. Illud potius considerandum, inter eos, qui ex eisdem parentibus nati communi domo, eodem vitæ cultu habiti, informatique sunt, arctiorem quamdam præ ceteris societatem a natura ipsa constitui, quæ mutuæ benevolentiæ, et caritatis inter consanguineos vehementioris fundamentum esse debet. Non alio enim quam naturæ consilio ita nascimur ut prima societatis præsidia, homini omnino necessaria, ab aliis, qui nobiscum ex eodem sanguine prognati sint, habere debeamus. Unde fit, ut aliorum quidem consuetudines, ratione, et usu postea eligamus, cognatorum contra necessitudine prius utamur quam de ea suscipienda judicium sit. Divini igitur Conditoris consilium, optimum bene vivendi ducem sequamur, carosque præ ceteris illos habeamus cum quibus communi

sanguinis vinculo prima societate natura ipsa devinxit.

§. 258. Officia, quæ in domestica societate inter sanguine junctos universe perstrinximus, *Successionis ab intestato*, quam huc retulimus (§. 125.), fundamenta sunt. Dominio enim rerum semel quæsito, non illa certe quærentis mens intelligitur, ut sibi tantum, donec vita maneat, bona inserviant; se vero ex humanis sublato, quæ tanto plerumque studio comparata, labore exculta, ignotis occupantibus cedant. Ex intimo prorsus naturæ sensu Pindarus cœcinit (1) - *Divitiæ sortitæ dominum adscititium alienum morienti sunt odiosissimæ*. - Nec primigeniæ socialitatis indoles patitur uniuscujusque intestati hominis morte materiam occupationis, et rixarum humanæ aviditati constitui. Si quis igitur fato præventus extremam de rebus suis legem dicere non potuit, hæc ex probabili morientis voto supplenda est. Atqui dominia

(1) Olymp *Od* X. v. 100.

naturalibus obligationibus erga se, aliosque explendis introducta sunt (§. 128.). Ubi igitur præstantius aliquod defuncti officium appareat, ibi ejus voluntas verosimiliter præsumenda est.

§. 259. Quare perfectis obligationibus antea detractis, is in beneficentia defuncti præferendus, qui arctiori sanguinis vinculo eidem obstrictus sit. Beneficentia enim in hunc ex supervenienti statu generatim magis præcepta est (§. 82.): nec alias facile judicatu erit quis ex tot hominibus ad defuncti beneficia præ aliis jus habere censendus sit. Ne igitur litium seges inter homines succrescat, e naturali vinculo obligationem, et mentem defuncti constantius sequamur. - *Optime*, ad rem Tullius (1), *societas hominum conjunctioque servabitur, si ut quisque erit conjunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferatur.* -

§. 260. Hinc prima liberorum causa in successione intestati sine dubio statuenda,

---

(1) *De Off. lib. I. Cap.* 16.

quos per aliquod vitæ tempus alere perfectum parentum officium, bonis suis lœtari naturale votum est. Vere enim Euripides in Medea

Quibus in ædibus est liberorum
Dulce germen, eos video
Curis confici omni tempore,
Primo quidem, quo pacto bene ipsos educent,
Et unde victum relinquant liberis.

Si liberi non adsint, æquum sane parentibus gratiam referre, orbitatisque tristitiam filiorum hereditate minuere: quæ pulchre expressit Papinianus *Leg.* 15. *ff. de Inof. Test.* - *Etsi parentibus non debetur filiorum hereditas propter votum parentum, et naturalem caritatem: turbato tamen ordine mortalitatis, non minus parentibus, quam liberis pie relinqui debet.* - His tamen superstes conjux, saltem dum in humanis sit, adjungendus videtur, cum quo arctissima vitæ societas esse debuit (1). Si liberi mane-

(1) Vide *Gen. II.* 23. 24.

ant, horum officio (§. 248.), et pietate satis conjugi superstiti consultum dici potest; at his remotis, veteris conjugii, et caritatis memoria nulla eidem superesset: quod asperius est. Si tandem parentes jam defecerint, collaterales pro arctiori cognationis gradu eadem conjectura ad successionem vocandi; nam, et in remotis gradibus, familiæ aliqua ratio, vel effectus manet.

§. 261. Hæc utique servanda, ubi testamentariæ tabulæ deficiant. Patrifamilias vero jus tribuendum bona inter filios suos inæqualiter ex causa dividere, modo unicuique quod ad vitam ducendam necessarium sit relinquat. Hoc enim filios privare, sine gravi eorum facinore, parentes non decet: nec ita liberi prohibendi quominus imperio illo soluto, quod impensiori caritate natura ipsa in parentibus constituit, novam ipsi familiam summi Conditoris consilium sectando instituere valeant. Sed jus inæqualis divisionis, uti merita filiorum rependendi, ita obsequium, et virtutes provocandi ratio aptissima est. Ad hoc familiæ decus ex virium conjunctio-

ne emergens exigit ne domesticæ opes diversius scindantur . Inde primogenitorum jura invecta, quæ a patrefamilias semel domestica societate sua constituta naturali certe juri contraria non sunt. Familiarum pariter conservationi plerumque studentes civiles leges certas bonorum successiones constituerunt ; quibus hi qui intestati decedere maluerunt se conformasse censendi sunt ; unde et hic bona ex præsumpta intestati voluntate ad legitimos successores deferuntur .

Explicit Liber I.

	ERRATA	CORRIGE
Pag. 6 linea 1	questio	quæstio
9 23	Sinentium	Sinensium
14 24	*Ozon.*	*Oxon.*
149 9	*translationc*	*translatione*
153 13	(§. 162.)	(§. 152.)
195 10	(§. 13.)	(§. 15.)
218 23	cœundi	coeundi

Nihil obstat

F. Ant. M. Latini O. M. Conv. Cens. Theol.

Nihil obstat

Ant. M. Gagiano de Azevedo Sacræ Consist. Aulæ Advoc. Cens. Legalis

IMPRIMATUR

Fr. Dom. Buttaoni O. P. M. S. P. Soc.

IMPRIMATUR

Jos. Della Porta Patr. Constantinop. Vicesg.



NORCIA

JURIS NATURÆ ET GENTIUM INSTITUTIONES

I

1830

CAPUT X.



tiæ
stat
tu
com
pla
mant
felic
sunt
quun
reru
cta

alte
sua
Pr
in i
veni
tion

tem necessario pacisci , non vero e contra-
. At
num
no-
, et
ea,
otio

uam
tio ,
quin
entiam
solius
consul-
prima
dem,
alte-
nstu-
cta ,
ete-
uan-
tiam

Cap: 7

Massima

Si sede vacante scribitur Capitulo, ut gerenti vices Episcopi, ut praebendam alicui conferat: si creatur Episcopus nondum ~~electo~~ mandato executo et ad eum spectet collatio praebendarum, illud adimplere tenetur.

Amqua

Amqua

L. 19

Si alienam, seu principaliter constituto obligationem suscepisti, vel fidejussorio, sive mandatorio, vel quocumque alio nomine pro debitore intercessisti, non posse creditorem argeri eum qui mutuam accepit pecuniam, magis te convenire, scire debueras: cum si hoc in initio contractus specialiter non placuit, habeat liberam electionem.

Terzo Cap: De Rescriptis

Archiepiscopi electi solum et non confirmati subtraxerunt fenum in electione Imperatoris; et ipse Impe: non confirmatus jura Imperii administrat. Ergo a pari si habent jus eligendi ergo et conferendi beneficia.

Imperfecta est decisio nam non irritat prout poenam sancit, sed tantum

[illegible]

Electione contrahitur matri=
monium
In aliis electionibus acquiritur
jus ad officium sola electione
presertim cum confirmatio
non tribuat aliud jus, sed actum
confirmat.
Licet Epis: non possit exercere qua
sunt jurisd: tn benef pt: conferre
Nam benef: collatio Episco non com-
petit jure jurisdictis: Nam Captu
sede vacante non succedit in bene
ficiorum collatione